RUDIMENTA LINGUAE HEBRAICAE AD USUM ALUMNORUM...

Georg Joseph Bekker

RUDIMENTA LINGUÆ HEBRAICÆ

AD USUM ALUMNORUM

COLLEGII PHILOSOPHICI

EDIDIT

G. J. BEKKER

ORD. PHILOS. ET LITER. IN ACAD. LOVAN. PROF. ORD.

LOVANII

TYPIS VANLINTHOUT ET VANDENZANDE

ACADEMIÆ TYPOGRAPHORUM.

MDCCCXXVI.

PRÆFATIO.

Quamquam huic libello, ad meorum solummodo discipulorum usum destinato, nec excusatione opus est nec præfatione omnino; paucis tamen hoc loco, quibus ego rationibus adductus eum ediderim, declarandum esse videbatur; ne apud viros eruditos, quibus forte in manus ille inciderit, in levitatis aut temeritatis adeo crimen incurrerem.

Cum enim Collegium Philosophicum, in quo adolescentes Romano-Catholici ad Theologicas doctrinas postea in Seminariis percipiendas rite præpararentur, insigni REGIS AUGUSTISSIMI benevolentiâ cum nostrâ Academiâ esset conjunctum, doctores Academici plures ad eas disciplinas, quibus non essent peculiares constituti Professores, Collegii alumnis tradendas paratos promtosque se esse professi sunt. In his ego non Græcas

tantum Latinasque literas tradendi munus me expleturum esse promisi; verum etiam Hebraicæ linguæ docendæ partes, ab Amplissimis Academiæ Curatoribus honorifice mihi oblatas, in me recepi; nefas esse ducens meam operam ullâ in re desiderari, siquidem illa ad sapientissima REGIS AUGUSTISSIMI consilia exsequenda contribuere aliquid posse videretur. Ad utramque igitur provinciam recte administrandam alacri animo accessi; sed in Hebraicâ linguâ docendâ dici non potest quantas anno superiore difficultates sim expertus. Nam difficillimum profecto est hujus linguæ rationem tradere discipulis nullo prorsus, quo commode utantur, libro elementario, instructis. Equidem vero in satis magnâ hujus generis librorum copiâ ne unum quidem inveni quem recte possem ad scholas meas adhibere; quandoquidem præstantiores illorum recentioribus linguis sunt conscripti et omnes Latino sermone scriptæ Grammaticæ multo longiores esse videbantur quam ut tironum usui possent inservire. Et cum in linguâ aliqua addiscendâ nihil fere præcepta valeant sine interpretandi exercitatione, præter Grammaticam, tironum usui vel maxime adcommodatam, opus fuisset Lexico et Hebraico Veteris Testamenti Codice: quos libros, quippe non exiguo

pretio parabiles, paucissimi tantum e Collegii alumnis prospicere sibi potuissent. Hæc itaque considerans et omnium æque discipulorum commodis consulere studens coactum quodammodo me sentiebam ad ejusmodi librum conficiendum qui tum brevitate se commendaret tum ita esset comparatus ut, qui eo uterentur, majoribus iisque pretiosis operibus interea possent carere. Quamobrem Grammaticæ subjeci Locos e Vetere Testamento Selectos addito Vocabulorum Indice, ut haberent discipuli quo, primis Grammaticæ legibus cognitis, continuo ad interpretandi facultatem exercerentur et Lexici usui mature adsuefierent. Notas Hebraico contextui subjectas ad solam grammaticam interpretationem retuli, iis omnibus de industriâ omissis quæ eruditis Sacrorum Librorum interpretibus reservanda videbantur; nec in indicandâ vocabulorum significatione a Vulgatæ, quam dicunt, Versionis auctoritate recessi, ut ne imprudens quidem insciensque quidquam proferrem quod Sacrosanctæ Ecclesiæ doctrinis adversaretur.

Grammaticam ipsam si qui justo breviorem esse arbitrentur multaque ad probabilem linguæ Hebraicæ cognitionem vel maxime necessaria in eâ desiderent, hi velim reputent illud

solummodo in eâ edendâ mihi fuisse consilium, ut discipulis Initia in manus traderem, quibus ipse scholis habendis uberiorem totius artis grammaticæ explicationem tamquam fundamento superstruerem. Quæ autem in jungendis verbis orationeque componendâ propria sunt Hebraicæ linguæ, ad ea exponenda Locorum Selectorum interpretatio adcurata multiplicem mihi occasionem suppeditabit.

Quod Gesenii rationem in conscribendis his Rudimentis potissimum sum secutus, id nemo facile in me reprehendet qui et usu ipse intellexerit, quantum Gesenianæ Grammaticæ ceteris omnibus præstent, et vero etiam perpendat me non id egisse ut inventionis laudem consequerer, sed ut utilissima quæque et maxime necessaria exhiberem ad tironum usum adcommodata.

Ceterum cum non multa admodum hujus libelli exempla typis sint exscripta, sperandum est fore ut brevi ille denuo prodeat multo diligentius, quam per negotiorum multitudinem et varietatem fieri nunc a me potuit, elaboratus et, si instituti mei ratio id ferre videbitur, multis quoque partibus auctus et locupletatus.

Lovanii XI. Kalend. Novembr. MDCCCXXVI.

RUDIMENTA

GRAMMATICÆ HEBRAICÆ.

DE LITERIS ET SIGNIS AUXILIARIBUS.

§ 1.

Literarum consonantium formæ, quibus iisdem Numeri significantur, hæ sunt :

א		Aleph	*spiritus lenis* Græcorum	1
ב		Beth	b	2
ג		Gimel	g	3
ד		Daleth	d	4
ה		He	h	5
ו		Vav	v sive w	6
ז		Sain	z Belgarum	7
ח		Cheth	ch, hh	8
ט		Tet	t	9
י		Jod	j	10
כ	in fine ך	Caph	ch, k, c	20
ל		Lamed	l	30
מ	in fine ם	Mem	m	40
נ	in fine ן	Nun	n	50
ס		Samech	s	60
ע		Ain	*spiritus asper* sive gh	70
פ	in fine ף	Phe	ph, p	80
צ	in fine ץ	Tsade	ts	90
ק		Koph	k	100
ר		Resch	r	200
שׂ		Sin	s	300
שׁ		Schin	sch Germanorum	
ת		Thau	th	400

§ 2.

Literæ א et ע ex hodiernâ pronuntiandi consuetudine non audiuntur; v. c. אָמַר *amar* (ἀμαρ), עָמַס *amas*. Hebræi utramque ex gutture proferebant, illam lenius hanc fortius; ut עֲמֹרָה Græce reddatur Γομόῤῥα, עִבְרִי Ἑϐραῖος. Literæ ס et שׂ interdum promiscue usurpantur, veluti רָפַס et רָפַשׂ (conculcavit).

§ 3.

Literæ omnes distribuuntur in *Labiales* בומף (bumaph), *Palatinas* גיכק (gichak), *Linguales* דטלנת (datlæneth), *Dentales* זסצרש (zastserasch) et *Gutturales* אהחע (ahacha); earumque sex a Grammaticis dicuntur *adspiratæ*, בגדכפת bh, gh, dh, ch, ph, th, (begadkephath), quatuor *quiescibiles* אהוי (æhevi); et harum denique tres אוי appellantur *matres lectionis*.

Not. Moveri sive *mobiles esse* dicuntur literæ quiescibiles, cum sonus earum effertur, ut אָבַד (periit), יִקְטֹל (occidet), וְעֵץ (et arbor), הַיּוֹם (dies); contra *quiescere* dicuntur, ubi pronuntiari nequeunt, utpote Vocali (§ 4.) aut signo *Scheva* (§ 7 et 8.) carentes, v. c. בָּרָא (creavit), אָבָה (voluit), זֶה (hic), אֲנִי (ego), לוֹ (ei), וּבֵין (et inter).

§ 4.

Vocalium signa nunc usitata Hebræis ipsis prorsus incognita fuerunt et quinto demum seculo post Chr. n. inventa esse videntur. Possunt illa ad tria hæc sonorum genera commode revocari :

A (ָ), (ַ) et *Æ* (ֶ), cui respondet א,
E (ֵ), (ֶ) et *I* (ִ), (יִ), cui respondet י,
O (וֹ), (ָ), *OE* Belg. (ֻ) et *U* (וּ), cui respondet ו;

et quantitatis habitâ ratione hoc ordine disponuntur :

ָ *Kamets*, *A* longum.	ַ *Patach*, *A* breve.
ֵ *Tsere*, *E* longum.	ֶ *Segol*, *E* breve, *Æ*.
ִי *Chirek plenum*, *I* longum.	ִ *Chirek defectiv.*, *I* anceps.
וֹ *Cholem plenum* et ֹ *Cholem defectivum*, *O* longum.	ָ *Kamets-Chatuph*, *O* breve.
וּ *Schurek*, *U* (*o e* Belgar.) longum.	ֻ *Kibbuts*, plerumque *U* (*o e* Belgar.) breve, vel *U* (*ü* Germanor.).

§ 5.

Punctum, quo *Cholem defectivum* notatur, literæ suæ consonanti imponitur; ut קֹל (pro קוֹל, vox) : et in literis שׁ ac שׂ hoc punctum cum ipsius literæ puncto coalescit; ut scribatur שֹׂטְנִים *sotnim* (adversarii); מֹשֶׁה *moscheh* (Moses); שֹׁמֵר *schomer* (custodiens); יִרְפֹּשׂ *jirphos* (conculcabit).

§ 6.

Utrum ָ *Kamets* sit an *Kamets-Chatuph*, e vocis origine est cognoscendum. Plerumque autem est *Kamets-Chatuph* a) sequente *Scheva* (§ 7), ut חָכְמָה *chochma* (sapientia); b) sequente *Dagesch forti* (§ 10), ut חָנֵּנִי *chonneni* (miserere mei); c) in syllabâ compositâ (§ 16) tono destitutâ, ut כָּל־אִישׁ *col-isch* (omnis homo), וַיָּקָם *vajjakom* (surrexit).

§ 7.

Scheva simplex (:), quod subjicitur literis Vocali carentibus, v. c. מַלְכָּה *malca* (regina), קְטֹל *k'tol* (occidere), in fine non additur nisi literæ ךְ aut altero *Scheva* præcedente; ut scribatur קָטַל (occidit), מֶלֶךְ (rex), קָטַלְתְּ

(occidisti). *Mobile* illud a Grammaticis dicitur, si auditur, ut in קְטֹל; sin minus, *quiescens*, ut in מַלְכָּה.

§ 8.

Scheva compositum, quod subjicitur literis gutturalibus (§ 3.) Vocali carentibus, pro sonorum varietate (§ 4.) triplex est:

a) *Chateph-Patach* (-:), v. c. אֲרִי *ari* (leo), חֲמוֹר *chamor* (asinus), מַעֲלֶה *maalê* (locus excelsus, collis).

b) *Chateph-Segol* (..:), v. c. אֱנוֹשׁ *enosch* (homo), עֱנוּת *enuth* (cantus).

c) *Chateph-Kamets* (T:), v. c. חֳלִי *choli* (morbus), אָהֳלוֹ *oholo* (tentorium ejus).

Not. Interdum tamen et gutturalibus literis subjicitur *Scheva simplex*, ut תַּחְתִּי (inferior), et reliquis *compositum*, ut קֳדָשִׁים *kodaschim* (sacra), וּזֲהַב *usahabh* (et aurum).

§ 9.

Patach furtivum subjicitur literis ח, ע et ה mappikato (הּ, § 11.), quoties illæ in fine vocis collocantur nec præcedit sonus *A*, v. c. רוּחַ *rûach* (spiritus), רֵעַ *rêa* vel potius *rêagh* (amicus), גָּבוֹהַּ *gabôah* (altus).

§ 10.

Dagesch, h. e. punctum literis impressum, vel *forte* est vel *lene*. *Dagesch lene* appellatur, quo literis בגדכפת (§ 3) adimitur adspiratio; *Dagesch forte*, quo indicatur, literam illo insignitam esse duplicandam, ut נָתַנּוּ (dedimus), שַׂתִּי (posui), pro נָתַנְנוּ, שַׂתְתִּי: estque hoc

aut *compensativum* (ut סַבּוֹ pro סַבְבוֹ, הַדָּבָר pro הַלְדָּבָר) aut *characteristicum* (cf. § 43, 118.) aut *euphonicum* (ut מַה־יִּקְרָא).

§ 11.

Mappik est punctum in literâ ה finali, quo significatur eam non *quiescere* (§ 3. not.), v. c. גָּבַהּ *gabah'* (altus fuit) תָּמַהּ *thamah'* (admiratus est), אֱלוֹהַּ, *'loah'* (Deus).

§ 12.

Makkeph est lineola transversa, qua voces monosyllabæ aut dissyllabæ cum sequente voce ita junguntur, ut tonum (§ 14.) in eam projiciant, v. c. עַד־אָז *ad-âs* (quousque), אֶת־כָּל־עֵשֶׂב *eth-col-ésebh* (omnem herbam), בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל *b'ne-jisraël* (filii Israel).

§ 13.

Metheg est lineola perpendicularis Vocali adposita, qua significatur illam esse paulo distinctius efferendam aut *Scheva* sequens cum alterâ syllabâ esse jungendum, v. c. הָאָדָם *haadám* (homo), קָטְלָה *ka-t'la* (non *kot-la*, cf. § 6, occidit). Ponitur etiam inter *Scheva compositum* (§ 8) eique antecedentem Vocalem, v. c. שָׂהֲדִי *sa-h^a^di* (testis meus), לֵאמֹר *le-^e^mor* (dicendo).

§ 14.

Accentus iidem et Tonum verborum significant et Interpunctiones. Tonus autem plerumque in ultimâ vocis syllabâ nititur, ut קָטַל *katál*, occidit (vox *Milra*); rarius in penultimâ, ut מֶלֶךְ *mélech*, rex (vox *Milél*).

§ 15.

Sunt autem Accentus vel *Conjunctivi* (*Servi*) vel *Distinctivi* (*Domini, Imperatores, Reges, Comites*). Conjunctivorum frequentiores sunt *Munach* (֣), *Merca* (֥) et *Mahpach* (֤); distinctivorum tres potissimum sunt observandi,

a) *Silluk* (ֽ) cum *Soph-pasuk* (:); quibus conjunctis, tamquam maximâ interpunctione, finis cujusque enuntiationis significatur, v. c. : הָאָֽרֶץ׃

b) *Athnach* (֑), qui in mediâ plerumque enuntiatione collocatur et congruit fere cum Recentiorum duplici puncto (:) et commate cum puncto (;). In ligatâ oratione ejus vicem sustinet

c) *Merca mahpachatum* (֭), v. c. רְשָׁעִ֭ים.

Minores interpunctiones indicant *Sgolta* (֒), *Sakeph-katon* (֔), *Sakeph-gadol* (֕) et *Tiphcha* (֖).

DE SYLLABIS ET IMMUTATIONE VOCALIUM.

§ 16.

Syllabæ dicuntur *simplices*, quæ Vocali terminantur; *compositæ*, quæ Consonante; ut in voce קָטַל syllaba קָ simplex sit, טַל composita : in quo est animadvertendum, longam fere esse syllabæ simplicis Vocalem. In dinumerandis syllabis *Scheva simplex* (§ 7.) ad posteriorem syllabam est referendum (*mobile* est, § 7.), ubi longa Vocalis antecedit; ubi brevis, ad priorem (*quiescit*, § 7.); v. c. קָֽטְלוּ *ka-t'lu* (occiderunt), קוֹטְלִים *ko-t'lim* (occiden-

tes), קָטַלְתָּ *ka-tal-ta* (occidisti), מִרְמָה *mir-ma* (fallacia): *Scheva compositum* (§ 8.) semper trahitur ad syllabam sequentem; v. c. טַעֲמוֹ *ta-ᵃmo* (sapor ejus). Quoties in mediâ voce duo *Scheva* concurrunt, alterum ad priorem syllabam pertinet, alterum ad posteriorem; ut יִקְטְלוּ *jik-t'lu* (occident); item סִפְּרוּ (pro סִפְּרְוּ) *sip-p'ru* (recensuerunt).

§ 17.

Vocales *impuræ* sunt, h. e. cum aliis commutari aut abjici nequeunt

a) quæ post se habent literam quiescentem (§ 3.), ut רָאשׁ (pauper), קוֹל (vox), מָשִׁיחַ (unctus), aut eam literam, in qua quiescere deberent, perdiderunt, ut כְּתָב (scriptum, codex) pro כְּתָאב, כְּאֵב (dolor) pro כְּאֵיב.

b) quæ post se habent *Dagesch forte* (§ 10), ut גַּנָּב (fur), גִּבּוֹר (heros).

c) quæ præcedunt literam gutturalem (aut ר), quæ *Dagesch forte* respuisse putanda est (§ 18, b); v. c. אַחִים (fratres) pro אַחִּים, חָרָשׁ (faber) pro חָרָּשׁ (Forma s. syllaba dagessanda).

§ 18.

Vocales *puræ* tribus his modis immutantur:

a) Brevis in locum longæ (§ 4.) succedit, ubi e compositâ syllabâ (§ 16.) tonus in aliam aut *descendit* aut *adscendit*, v. c. יַד־יְהוָֹה (manus Jehovæ) pro יָד־, וַיָּקָם (et surrexit) pro וַיָּקוֹם. *Tsere* hic in *Segol* mutatur et *Cholem* in *Kamets-chatuph*, v. c. בֶּן־אָדָם (filius hominis) pro בֵּן־, כָּל־הָעָם (omnis populus) pro כּוֹל־ s. כֹּל.

At subsequente *Dagesch forti* (§ 10.) *Kamets* quidem itidem transit in *Patach*, v. c. גָּג (tectum) Plur. גַּגּוֹת, גָּמָל (camelus), Plur. גְּמַלִּים; sed *Tsere* in *Chirek* et *Cholem* in *Kibbuts*; v. c. לֵב (cor), לִבִּי (cor meum); חֹק (statutum, lex), Plur. חֻקִּים.

b) Longa ponitur pro brevi, ubi composita syllaba in simplicem (§ 16.) convertitur, v. c. in קְטָלוֹ *k'ta-lo* (occidit eum) a קָטַל. Cum porro literæ gutturales (§ 3.) et ר addendo *Dagesch* forti (§ 10.) duplicari nequeant, earum geminatio ita plerumque compensatur, ut præcedens Vocalis brevis mutetur in longam, v. c. הָעַיִן (oculus) pro הַעַּיִן, בֵּרֵךְ (fortunare) pro בִּרֵּךְ; qua quidem mutatione *Chirek* transit in *Tsere*, *Kibbuts* in *Cholem*, v. c. מֵרָחוֹק (e longinquo) pro מִרָּחוֹק, בֹּורַךְ (fortunatus est) pro בֻּרַּךְ.

c) Vocalis omnino abjicitur, aut voce auctâ ac tono in postremam illius syllabam *descendente*, v. c. דְּבָרִים (verba) a Sing. דָּבָר, קְטַלְתֶּם (occidistis) a קָטַל; aut alio, in quod tonus transeat, vocabulo adjecto, v. c. דְּבַר־יְהוָֹה (verbum Jehovæ).

§ 19.

Ad tollendam pronuntiandi duritiam novæ quoque Vocales adsciscuntur. Quoties enim initio vocis duo *Scheva* concurrunt, prius convertitur in *Chirck* aut, si gutturalis est prima litera, in *Patach*; v. c. לִפְרִי (fructui) pro לְפְרִי, אַנְשֵׁי (viri, *st. cstr.*) pro אְנְשֵׁי. Quodsi *compositum* est posterius, prius *simplex* (§ 7 et 8.); hoc in eam transit Vocalem quacum illud est compositum; v. c. לַעֲבֹד (ad serviendum) pro לְעֲבֹד, לֶאֱכֹל (ad edendum) pro לְאֱכֹל, בָּחֳלִי (in morbo) pro בְּחֳלִי.

Not. In extremâ voce licet possint concurrere duæ Consonantes Vocalibus carentes v. c. קָטַלְתְּ (occidisti), וַיֵּשְׁתְּ (et potavit); interdum tamen ad mitigandam duritiam priori subjicitur Vocalis auxiliaris (Voc. *furtiva*), *Chirek* literæ י, Gutturalibus *Patach*, reliquis *Segol*; v. c. בַּיִת (domus) pro בַּיְת, נַעַר (puer) pro נַעְר, קֹדֶשׁ (sanctitas, sacrum) pro קֹדְשׁ, וַיֶּגֶל (patefecit) pro וַיְגְל.

§ 20.

E majoribus in extremâ enuntiationis voce collocatis Accentibus (§ 15.) hæ duæ oriuntur immutationes:

a) Cum syllaba, in qua tonus nititur, brevem habet Vocalem, hæc immutatur in longam, v. c. מָֽיִם sive מָ֑יִם (aquæ) pro מַיִם, קָטָֽל (occidit) pro קָטַל.

b) Cum tonus nititur in ultimâ syllabâ a duabus Consonantibus incipiente, v. c. תִּשְׁ|מְרוּ, קָֽ|טְלָה, *Scheva* illius syllabæ convertitur in Vocalem, et tonus quoque in ortam ita syllabam penultimam rejicitur. Interdum autem *Scheva simplex* (§ 7.) transit in *Segol*, ut כֶּ֑לִי (instrumentum) pro כְּלִי, וַיֶּ֑הִי (et fuit) pro וַיְהִי, et *Scheva compositum* (§ 8.) in longam ejusdem soni (§ 4.) Vocalem, v. c. אָ֑נִי (ego) pro אֲנִי, חֹ֑לִי (morbus) pro חֳלִי; plerumque vero revocatur Vocalis, quæ ob auctam in fine vocem erat abjecta, v. c. קָטָ֑לָה pro קָֽטְלָה, יִקְטֹ֑לוּ pro יִקְטְלוּ, קָטָ֑לוּ pro קָֽטְלוּ.

DE ARTICULO ET PRONOMINE.

§ 21.

Articuli una est forma הַ sequente *Dagesch forti* (.הַ pro primariâ formâ הַל), v. c. הַשֶּׁמֶשׁ (*de zon*); quæ ante Gutturales et ר plerumque convertitur in הָ (§ 18. b.), v. c. הָעַיִן (*het oog*), הָרֹאשׁ (*het hoofd*). Ante Gutturales cum subjecto *Kamets* הָ fere transit in הֶ, v. c. הֶעָלֶה (*het blad*), הֶהָרִים (*de bergen*).

Præpositiones בְּ, לְ et כְּ (§ 148.) Articulum fere extrudunt ejusque Vocalem cum sequente *Dagesch* adsciscunt; v. c. בַּשָּׁמַיִם (*in de hemelen*) pro בְּהַשָּׁמַיִם, לַפָּקִיד (*aan den bestuurder*) pro לְהַפָּקִיד, כַּשֶּׁמֶשׁ (*gelijk de zon*) pro כְּהַשֶּׁמֶשׁ.

§ 22.

Pronomina sive *separata* sunt sive *suffixa*. Ad *Separata* referuntur Personalia (in Nominativo), Demonstrativa, Relativa et Interrogativa. *Suffiguntur* autem Pronomina et Verbis (Pron. personalia in Casibus obliquis) et Nominibus (Pron. possessiva) et Particulis.

§ 23.

Pronomina *personalia* a Verbo *separata* hæc sunt:

Sing.		*Plur.*	
אֲנִי, אָנֹכִי, ego, *comm.*		אֲנַחְנוּ, נַחְנוּ, nos.	
אַתָּה, rarius אַתְּ, *masc.*	tu.	אַתֶּם, *masc.*	vos.
אַתְּ, aliquoties אַתִּי, *f.*		אַתֵּן, אַתֵּנָה, *fem.*	
הוּא, ille.		הֵם, הֵמָּה, illi.	
הִיא (in Pentat. הִוא), illa.		הֵן, הֵנָּה, illæ.	

§ 24.

Demonstrativa pronomina sunt
in *Sing. masc.* זֶה, rarius הַלָּזֶה, hic.
fem. זֹאת, rarius זוֹ, זֹה, hæc (hoc).
in *Plur. comm.* אֵלֶּה, rarius אֵל, hi, hæ (hæc).

§ 25.

Interrogativa pronomina duo sunt, מִי quis? quæ? מָה quid? — *Relativum* (qui, quæ, quod) in Sing. et Plur. redditur voce אֲשֶׁר; in Dativo אֲשֶׁר לוֹ (cui), אֲשֶׁר לָהֶם (quibus); in Accus. אֲשֶׁר אֹתוֹ (quem); cum Præpos. אֲשֶׁר בּוֹ (in quo); in Genit. אֲשֶׁר סוּסוֹ (cujus equus), et sic deinceps. Cf. § 30. 32. 116. 147. not. 2.

§ 26.

Verbis *Suffixa* pronomina Accusativum plerumque significant, v. c. קְטַלְתַּנִי (occidisti *me*); rarissime Dativum, v. c. נְתַתַּנִי (dedisti *mihi*). Eorum formæ hæ sunt:

Sing.

1. *comm.* נִי, ־ַנִי, ־ֵנִי, me.

2. *masc.* ךָ, כָה, c. Acc. maj. (§ 20.) ־ָךְ, te (marem).
fem. ךְ, ־ֵךְ, ־ַךְ, ־ֶךְ, te (feminam).

3. *masc.* הוּ, ו, ־ָהוּ, ־ֵהוּ, וֹ, eum.
fem. ־ָהּ, ־ָה, ־ֶהָ, eam.

Plur.

1. *comm.* נוּ, ־ָנוּ, ־ֵנוּ, nos.

2. *masc.* כֶם, vos (mares).
fem. כֶן, vos (feminas).

3 *masc.* ם, הֶם, ָם et ֵ֫ם, ֵם et ֶם (poët. ָמוֹ, ֵ֫מוֹ), eos.
fem. הֶן, ָן, ֵ֫ן, ֵן, eas.

Ceterum animadvertendum est, formas a Consonante incipientes suffigi Verborum formis in Vocalem desinentibus, v. c. קְטַלְתַּ֫נִי; eas autem quæ a sono *A* (-, ָ) incipiant, formis Præteriti; quæ a sono *E* (ֵ, ֶ), formis Futuri et Imperativi, v. c. קְטָלַ֫נִי (occidit me), יִקְטְלֵ֫נִי (occidet me), קְטְלֵ֫נִי (occide me).

§ 27.

Haud raro etiam inter Verbum (vel Particulam) eique suffixum Pronomen litera נ inseritur (*Nun epentheticum*), unde hæ exsistunt formæ:

Sing.

1. *comm.* ַ֫נִּי et ֶ֫נִּי pro ַ֫נְנִי, ֶ֫נְנִי.
2. *masc.* ֶ֫ךָּ, ֶ֫כָּה pro ֶ֫נְךָ.

3 *masc.* ֶ֫נּוּ (pro ֶ֫נְהוּ), נּוּ.
fem. ֶ֫נָּה pro ֶ֫נְהָ.

Plur.

1. *comm.* ֶ֫נּוּ pro ֶ֫נְנוּ.

quæ tamen non usurpantur nisi in Futuro et interdum etiam in Imperativo.

§ 28.

Nominibus *Suffixa* pronomina *Possessiva* appellari possunt, quamquam proprie sunt Genitivi Pronominum personalium (§ 23.), ut אָבִי (πατήρ μου), קוֹלוֹ (vox *ejus*), קוֹלָם (vox *eorum*). *Singulari* autem numero hæc suffiguntur pronomina:

1. *comm.* ִי, meus, mea, meum (*mei*).

2 *masc.* ךָ, c. maj. Acc. ◌ֶךָ, tuus, a, um (*tui*, de mare).
fem. ךְ, ◌ֵךְ, tuus, tua, tuum (*tui*, de feminâ).

3 *m.* וֹ, הוּ, ◌ֵהוּ, וֹ, הֹ, suus, a, um, s. ejus (de mare).
f. הָ, ◌ָה, ◌ֶהָ, suus, a, um, s. ejus (de feminâ).

1. *comm.* נוּ, ◌ֵנוּ, noster, nostra, um (*nostri*, *nostrûm*).

2 *m.* כֶם, vester, a, um (*vestri*, *vestrûm*, de maribus).
f. כֶן, vester, a, um (*vestri*, *ûm*, de feminis).

3 *m.* הֶם, ◌ָם, poët. ◌ָמוֹ, suus, a, um, s. eorum.
f. הֶן, הֵן, ◌ָן, suus, a, um, s. earum.

§ 29.

Pluralis ac *Dualis* numeri Nominibus *Suffixorum* pronominum hæ sunt formæ :

1. *comm.* ◌ַי, mei, meæ, mea (*mei*).

2 *m.* ◌ֶיךָ, tui, tuæ, tua (*tui*, de mare).
f. ◌ַיִךְ, ◌ַיְכִי, tui, æ, a (*tui*, de feminâ).

3 *m.* ◌ָיו, ◌ָו, poët. ◌ֵיהוּ, sui, æ, a, s. ejus (de mare).
f. ◌ֶיהָ, sui, æ, a, s. ejus (de feminâ).

1. *comm.* ◌ֵינוּ, nostri, æ, a (*nostri*, *nostrûm*).

2 *m.* ◌ֵיכֶם, vestri, æ, a (*vestri*, *ûm*, de maribus).
f. ◌ֵיכֶן, vestri, æ, a (*vestri*, *ûm*, de feminis).

3 *m.* ◌ֵיהֶם, sui, æ, a, s. eorum.
f. ◌ֵיהֶן, sui, æ, a, s. earum.

Not. Gravia dicuntur *Suffixa* in Sing. כֶם, כֶן, הֶם, הֶן, in Plur. ◌ֵיכֶם, ◌ֵיכֶן, ◌ֵיהֶם, ◌ֵיהֶן; reliqua omnia *levia*. Illis major, his minor efficitur Vocalium Nominis, cui adji-

ciuntur, correptio, v. c. דָּבָר (verbum), דְּבָרִי, דְּבָרוֹ, דִּבְרֵי, sed דְּבַרְכֶם, דִּבְרֵיהֶם (cf. § 119. sqq.).

§ 30.

Ut facilius intelligatur quomodo hæc Pronomina (§ 28 et 29.) sint Nominibus *suffigenda*, exempli gratiâ adjiciamus Nomen cum trium Personarum utriusque Numeri *Suffixis* :

Sing. סוּס, equus.

1. *comm.* סוּסִי, equus meus.	1. *comm.* סוּסֵנוּ, equus noster.
2 { *m.* סוּסְךָ / *f.* סוּסֵךְ } equus tuus.	2 { *m.* סוּסְכֶם / *f.* סוּסְכֶן } equus vester.
3 { *m.* סוּסוֹ / *f.* סוּסָהּ } equus suus, s. equus ejus.	3 { *m.* סוּסָם, equus eorum. / *f.* סוּסָן, equus earum. } s. equus suus.

Plur. סוּסִים, in *Statu constr.* (§ 117. sq.) סוּסֵי, equi.

1. *comm.* סוּסַי, equi mei.	1. *comm.* סוּסֵינוּ, equi nostri.
2 { *m.* סוּסֶיךָ / *f.* סוּסַיִךְ } equi tui.	2 { *m.* סוּסֵיכֶם / *f.* סוּסֵיכֶן } equi vestri.
3 { *m.* סוּסָיו / *f.* סוּסֶיהָ } equi sui; s. equi ejus.	3 { *m.* סוּסֵיהֶם, equi eorum. / *f.* סוּסֵיהֶן, equi earum. } s. equi sui.

Reliquarum formarum exempla sint : אָבִיךְ (pater tuus, *fem.*), אָבִיו et אָבִיהוּ (pater ejus, *masc.*), אָבִינוּ (pater noster), אֲבִיהֶם (pater eorum), a *Statu constr.* אֲבִי (§ 136.) nominis אָב ; porro שָׂדֵהוּ (campus ejus, *masc.*) a שָׂדֶה, מַרְאָהָ (adspectus ejus, *fem.*) a מַרְאֶה.

§ 31.

Particulis *Suffixa* pronomina sive *Nominativum* significant sive *Casus obliquos*. Ubi enim Adverbiis, Conjun-

ctionibus et Interjectionibus suffiguntur, Nominativus est intelligendus, v. c. הִנְנִי ecce ego, הִנֵּנוּ ecce ille, עוֹדֶנִּי adhuc ego (sum), יֶשְׁךָ præsto tu (es), אֵינֶנִּי non præsto ego (sum), אַיּוֹ ubi ille (est)? — De literâ Nun epentheticâ in his formis vid. § 27.

§ 32.

Præpositionibus (§ 148-150.) vero cum Pronomina suffiguntur, eum Casum significant quocum illæ in aliis linguis junguntur; v. c.

a) לִי mihi; לְךָ tibi *masc.*, לָךְ tibi *fem.*; לוֹ ei *m.*, לָהּ ei *f.*; לָנוּ nobis; לָכֶם vobis *m.*, לָכֵנָה vobis *f.*; לָהֶם et poët. לָמוֹ iis *m.*, לָהֵן iis *f.*: ubi notandum est Præpositione לְ indicari Dativum (§ 116. coll. § 148. a.).

b) בִּי in me; בְּךָ in te *m.*, בָּךְ in te *f.* et sic ulterius בּוֹ, בָּהּ, בָּנוּ, בָּכֶם, בָּכֶן, בָּהֶן; sed una forma tertiæ pers. masc. plur. est בָּם, in iis (cf. § 148. a.).

c) אֹתִי me (Voculâ אֵת indicatur Accusativus, cf. § 116.); אֹתְךָ te *m.*, אֹתָךְ te *f.*; אֹתוֹ eum, אֹתָהּ eam; אֹתָנוּ nos; אֶתְכֶם vos; אֶתְהֶם et אֹתָם eos, אֹתָן eas (cf. § 148. b.).

d) מִמֶּנִּי (poët. מֶנִּי, מִנִּי) ex s. a me; מִמְּךָ ex te *m.*, מִמֵּךְ ex te *f.*, מִמֶּנּוּ (poët. מֶנְהוּ, מִנְהוּ) ex eo, מִמֶּנָּה ex eâ; מִמֶּנּוּ e nobis; מִכֶּם e vobis *m.*, et sic ulterius מִכֶּן, מֵהֶם (poët. מִנְהֶם), מֵהֶן. De ipsâ Præpositione מִן s. מִמֶּן vid. § 150.

e) E Præpositione כְּ s. כְּמוֹ, כָּמוֹ *ut* s. *secundum* (§ 148. a.) hæ exsistunt formæ: כָּמוֹנִי, כָּמוֹךָ, כָּמוֹהוּ, כָּמוֹהָ, Plur. כָּמוֹנוּ, כָּכֶם, כָּהֶם;

f) e Præpositione עִם *cum* : עִמִּי ; עִמְּךָ , עִמָּךְ ; עִמּוֹ , עִמָּהּ ; עִמָּנוּ ; עִמָּכֶם ; עִמָּהֶם et עִמָּם.

Not. Aliæ insuper sunt Particulæ, velut עַל (super), אֶל (ad), עַד (usque ad), אַחַר (post); quæ cum etiam usurpentur formâ plurali עֲלֵי, אֱלֵי, עֲדֵי, אַחֲרֵי, easdem atque Nomina in Plurali numero (§ 29.) Pronominum formas adsciscunt; ut dicatur עָלַי (super me), אֵלַי (ad me), עָדָיו (usque ad eum), עֲדֵיכֶם (usque ad vos), אַחֲרָיו (post eum), אַחֲרֵיכֶם (post vos). Cf. § 150.

DE VERBO UNIVERSE.

§ 33.

Primaria Verborum forma, quæ est tertia persona Sing. Præter. (קָטַל), fere tribus continetur literis, eademque radix est, unde pleraque Nomina ducuntur: quamquam interdum etiam Verborum origo in Nominibus est quærenda (*Verba denominativa*), ut verbi אָהַל (tentorium fixit) in nomine אֹהֶל (tentorium).

Reliquis fere omnibus Verborum formis e primariâ illâ effingendis inserviunt literæ האמנתיו (heemantiv), quæ propterea vocantur *Serviles*, suntque vel *Afformativæ* vel *Præformativæ*; ut in formâ תִּקְטֹלְנָה radicales sint קטל, serviles תנה, harumque afformativæ נה, præformativa ת.

§ 34.

Distinguenda autem sunt plura Verbi Hebraici *Genera*, quæ nos posthac, licet minus proprio nomine, *Con-*

jugationes appellabimus. Primarium idemque simplicissimum genus dicitur *Kal* (קַל, h. e. leve, nullo additamento oneratum), v. c. צָדַק (justus fuit). Ex eo quatuor maxime usitata ducuntur genera, quibus a verbo פָּעַל, quo antiquiores Grammatici tamquam flectendi Verbi exemplo uti consueverant, hæc indita sunt nomina : a) *Niphal*, v. c. נִצְדַּק, (justus cognitus est), b) *Piel*, v. c. צִדֵּק (justum declaravit, c) *Hiphil*, v. c. הִצְדִּיק (item just. declaravit, absolvit), d) *Hithpaël*, v. c. הִצְטַדֵּק (cf. § 53. se justum probavit, defendit). Duo horum generum, *Piel* et *Hiphil*, Passivas quoque habent formas, quæ vocantur *Pyal* et *Hophal* s. *Huphal*.

§ 35.

Verbum Regulare dicitur, quod tres literas radicales ubique retinet, ut קָטַל, צָדַק; *Irregulare*, cujus una aut duæ literæ radicales in flexione abjiciuntur (*Verbum defectivum*) aut una illarum quiescit (*Verbum quiescens*), v. c. שַׁק (osculare) pro נְשַׁק, Imper. verbi נָשַׁק; יַשִּׁי (decipiet) pro יַשִּׁיא, h. e. יַנְשִׁיא, Fut. *Hiph.* verbi נָשָׁא; קוֹם (surgere) pro קוֹם, Inf. absol. verbi קָם (pro קָוַם, surrexit).

DE VERBO REGULARI.

CONJUGATIO PRIMARIA (KAL).

§ 36.

Verbi Regularis קָטַל (occidit) in Genere primario (*Kal*) hæ sunt formæ:

Præter.

	Sing. masc.	*Sing.* comm.	*Sing.* fem.	*Plur.* masc.	*Plur.* comm.	*Plur.* fem.	
3	קָטַל		קָטְלָה		קָטְלוּ		3
2	קָטַלְתָּ		קָטַלְתְּ	קְטַלְתֶּם		קְטַלְתֶּן	2
1		קָטַלְתִּי			קָטַלְנוּ		1

Infinit.

Forma absol. קָטוֹל. *Forma constr.* קְטֹל.

Imperat.

	Sing. masc.	*Sing.* fem.	*Plur.* masc.	*Plur.* fem.	
2	קְטֹל	קִטְלִי	קִטְלוּ	קְטֹלְנָה	2

Futur.

	masc.	comm.	fem.	masc.	comm.	fem.	
3	יִקְטֹל		תִּקְטֹל	יִקְטְלוּ		תִּקְטֹלְנָה	3
2	תִּקְטֹל		תִּקְטְלִי	תִּקְטְלוּ		תִּקְטֹלְנָה	2
1		אֶקְטֹל			נִקְטֹל		1

Particip.

Act. (Benoni) קוֹטֵל; *fem.* קֹטְלָה, קֹטֶלֶת.
Pass. (Paul) קָטוּל; *fem.* קְטוּלָה.

§ 37.

Omnia fere primariæ hujus Conjugationis verba, quorum altera syllaba habet *Patach* (Verba med. *A*.), *transitiva* sunt, ut קָטַל, כָּרַת (secuit), כָּסַף (expetivit), כָּתַב (scripsit). *Intransitiva* pleraque aut *Tsere* habent in alterâ syllabâ (Verba med. *E*.) aut *Cholem* (Verba med. *O*.), v. c. זָקֵן (consenuit), יָבֵשׁ (exaruit), יָכֹל (potuit), קָטֹן (parvus fuit), יָגֹר (timuit): quæ utræque Vocales in Futuro transeunt in *Patach* (Verba Fut. *A*), v. c. יִזְקַן, יִקְטַן; alias vero plerumque aut retinentur aut cum ejusdem soni brevibus (§ 4.) commutantur, v. c. יָגֹרְתִּי (timui), יָכֹלְתָּ (potuisti).

§ 38.

Rariores Futuri formæ sunt יֹאמַר (dicet), יִתֵּן (pro יִנְתֵּן, dabit), יִשְׁמוֹר (servabit), Infinitivi יְכֹלֶת (posse), אַהֲבָה (amare). Sæpius formis in וּ et ִי desinentibus adjicitur litera ן (*Nun paragogicum*), v. c. תִּשְׁכְּבוּן (jacebitis), תִּדְבָּקִין (*fem.* pro תִּדְבְּקִי, adhærebis).

Primæ item Futuri personæ in utroque Numero haud raro additur ָה (*He paragogicum*); quo additamento plerumque significatur aut votum aut consilium sive exhortatio (Optativus, Conjunctivus), v. c. אֶשְׁמְרָה (utinam servem), נִשְׂרְפָה (comburamus).

§ 39.

Imperfecti vicem sustinet Futurum cum præfixo וַ sequente *Dagesch forti* (*Vav conversivum Futuri*), v. c. וַיִּקְטֹל (occidebat); sed וָאֶקְטֹל (occidebam) scribendum est ex § 18. b. Ubi duæ exstant Futuri formæ, *Vav conver-*

sivum brevem adsciscit ac tonum quoque interdum retrahit in syllabam antepenultimam (§ 52.).

Licet vero וַ decurtata tantum sit forma verbi הָוָה (i. q. הָיָה fuit), sæpius tamen Conjunctionem וְ (et) simul complectitur; ut וַיִּקְטֹל significare etiam possit *et occidebat*.

CONJUGATIONES DERIVATÆ.

A. NIPHAL.

§ 40.

Conjugatio *Niphal* (נִפְעַל), quæ proprie formatur præfigendâ syllabâ הִנְ, a) plerumque est Passiva, ut נִשְׁבַּר *fractus est;* b) Reflexiva, ut נִשְׁמַר *cavit sibi* a שָׁמַר (servavit, cavit); c) Reciproca, ut נִשְׁפַּט *litigavit, jure disceptavit* a שָׁפַט (judicavit). d) Deponens potest appellari, ubi primaria (*Kal*) prorsus est inusitata, v. c. נִשְׁבַּע *juravit*, נֶאֱנַח *ingemuit*, נֶאֱלַם *obmutuit*.

§ 41.

Sequatur nunc hujus Conjugationis Paradigma:

Præter.

	Sing.				*Plur.*		
	masc.	*comm.*	*fem.*	*masc.*	*comm.*	*fem.*	
3	נִקְטַל		נִקְטְלָה		נִקְטְלוּ		3
2	נִקְטַלְתָּ		נִקְטַלְתְּ	נִקְטַלְתֶּם		נִקְטַלְתֶּן	2
1		נִקְטַלְתִּי			נִקְטַלְנוּ		

Infinit.

Forma absol. נִקְטֹל et הִקָּטֹל. *Forma constr.* הִקָּטֵל.

Imperat.

	Sing.		*Plur.*	
2	*m.* הִקָּטֵל	*f.* הִקָּטְלִי	*m.* הִקָּטְלוּ	*f.* הִקָּטֵלְנָה 2

Futur.

	Sing.			*Plur.*		
	masc.	*comm.*	*fem.*	*masc.*	*comm.*	*fem.*
3	יִקָּטֵל		תִּקָּטֵל	יִקָּטְלוּ		תִּקָּטֵלְנָה 3
2	תִּקָּטֵל		תִּקָּטְלִי	תִּקָּטְלוּ		תִּקָּטֵלְנָה 2
1		אֶקָּטֵל			נִקָּטֵל	1

Particip.

Masc. נִקְטָל; *fem.* נִקְטָלָה , נִקְטֶלֶת.

§ 42.

In utraque personâ fem. Plur. Fut. ubique fere *Patach* reperitur pro *Tsere*, v. c. תִּשָּׁגַלְנָה (vitiabuntur), תֵּאָכַלְנָה (comedentur); in reliquis personis nusquam fere obvia est hæc commutatio nisi adposito Accentu majore, v. c. וַיִּגָּמַל (ablactabatur). Quoties vero Futuro, Infinitivo aut Imperativo succedit vox monosyllaba, tonus in penultimam syllabam retrahi solet atque *Tsere* immutari in *Segol*, v. c. יִלָּכֶד בָּהּ (capietur in eâ), לְהִסָּתֶר שָׁם (*pour y être caché*), הִלָּחֶם בּוֹ (proeliare contra eum).

B. PIEL ET PYAL.

§ 43.

Piel (פִּעֵל), in quo media Radicalis duplicatur et *Scheva* sub Præformativis (§ 33.) retinetur, has potissimum habet significationes : a) Caussativam generis *Kal*, ut אִבֵּד

perdidit ab אָבַד (periit), לִמֵּד *docuit* a לָמַד (didicit), et subinde Declarativam, v. c. טִמֵּא *impurum declaravit* a טָמֵא (impurus fuit); b) Intensivam generis *Kal*, ut נִגַּע *percussit* a נָגַע (tetigit), שִׁבֵּר *perfregit* a שָׁבַר (fregit), שִׁאֵל *mendicavit* a שָׁאַל (petiit); c) Privativam fere in Verbis denominativis (§ 33.), v. v. זִנֵּב *caudam amputavit* a זָנָב (cauda), דִּשֵּׁן *cinerem removit* a דֶּשֶׁן (cinis).

Passivum hujus generis est *Pyal* (פֻּעַל), ut לֻמַּד *edoctus est*, מְטֻמָּאָה Partic. fem. *polluta*.

§ 44.

Paradigma illius hoc est:

Præter.

	Sing. masc.	comm.	fem.	*Plur.* masc.	comm.	fem.	
3	קִטֵּל		קִטְּלָה		קִטְּלוּ		3
2	קִטַּלְתָּ		קִטַּלְתְּ	קִטַּלְתֶּם		קִטַּלְתֶּן	2
1		קִטַּלְתִּי			קִטַּלְנוּ		1

Infinit.

קַטֵּל

Imperat.

	Sing.		*Plur.*		
2	*masc.* קַטֵּל	*fem.* קַטְּלִי	*masc.* קַטְּלוּ	*f.* קַטֵּלְנָה	2

Futur.

	Sing. masc.	comm.	fem.	*Plur.* masc.	comm.	fem.	
3	יְקַטֵּל		תְּקַטֵּל	יְקַטְּלוּ		תְּקַטֵּלְנָה	3
2	תְּקַטֵּל		תְּקַטְּלִי	תְּקַטְּלוּ		תְּקַטֵּלְנָה	2
1		אֲקַטֵּל			נְקַטֵּל		1

Particip.

Masc. מְקֻטָּל; *fem.* מְקֻטָּלָה, מְקֻטֶּלֶת.

§ 45

Eadem prorsus est Passivi flexio, ut Paradigmatis usu supersedeamus; v. c. Præt. קֻטַּל, קֻטְּלָה, קֻטַּלְתִּי, Inf. קֻטַּל, Futur. יְקֻטַּל, Partic. מְקֻטָּל. Imperativus vero omnino deest.

§ 46.

In Præter. frequens est *Patach* pro *Tsere*, ut לִמַּד (docuit), rarius *Segol*, ut כִּבֶּס (lavit). Infinitivus absolutus interdum habet *Cholem*, ut יַסּוֹר (castigando), et Passivum *Kamets-chatuph* aut *Schurek* pro *Kibbuts*, v. c. כָּרַּת (abscissus est), יוּלַּד (genitus est).

C. HIPHIL ET HOPHAL.

§ 47.

Hiphil (הִפְעִיל) formatur præfigendo ה et literâ י posteriori syllabæ inserendâ. Est autem hoc genus a) Caussativum, ut *Piel*, v. c. הוֹצִיא *eduxit* a יָצָא (exiit): in quo animadvertendum, plerumque alterutrum tantum ejusdem verbi exstare, aut *Piel* aut *Hiphil*, aliquoties tamen utrumque eâdem plane significatione reperiri, v. c. אִבֵּד et הֶאֱבִיד *perdidit*: b) rarius Intransitivum et Neutrale, ut *Kal*, v. c. עָשַׁר et הֶעֱשִׁיר *dives factus est*, et in verbis colorem ac tempus indicantibus, v. c. הִלְבִּין *albus fuit*, הִשְׁכִּים *mane fecit*. — *Hophal* (הָפְעַל s. הֻפְעַל) est Passivum, v. c. הָשְׁלַךְ *projectus est* ab הִשְׁלִיךְ (projecit).

§ 48.

Addamus nunc Paradigma :

Præter.

	Sing. masc.	comm.	fem.	*Plur.* masc.	comm.	fem.	
3	הִקְטִיל		הִקְטִ֫ילָה		הִקְטִ֫ילוּ		3
2	הִקְטַלְתָּ		הִקְטַלְתְּ	הִקְטַלְתֶּם		הִקְטַלְתֶּן	2
1		הִקְטַלְתִּי			הִקְטַלְנוּ		1

Infinit.

Forma absol. הַקְטֵיל et הַקְטֵל. *Forma constr.* הַקְטִיל.

Imperat.

	Sing.		*Plur.*	
2	*m.* הַקְטִיל	*f.* הַקְטִ֫ילִי	*m.* הַקְטִ֫ילוּ	*f.* הַקְטֵ֫לְנָה 2

Futur.

	Sing. masc.	comm.	fem.	*Plur.* masc.	comm.	fem.	
3	יַקְטִיל		תַּקְטִיל	יַקְטִ֫ילוּ		תַּקְטֵ֫לְנָה	3
2	תַּקְטִיל		תַּקְטִ֫ילִי	תַּקְטִ֫ילוּ		תַּקְטֵ֫לְנָה	2
1		אַקְטִיל			נַקְטִיל		1

Particip.

Masc. מַקְטִיל; *fem.* מַקְטִילָה.

§ 49.

Passivum הָקְטַל, cui deest Imperativus, eadem ratione flectitur ut *Kal* et *Niphal*; v. c. הָקְטְלָה, הָקְטַ֫לְנוּ, Inf. הָקְטֵל, Fut. יָקְטַל, Part. מָקְטָל. Ceterum frequens in eo est *Kibbuts* pro *Kamets-chatuph*, ut הֻקְטַל, יֻקְטַל, מֻקְטָל.

§ 50.

Litera ה, quæ *characteristica* dicitur, in Futuro et Participio a Præformativis est extrusa, quoniam יַקְטִיל, מַקְטִיל ponitur pro יְהַקְטִיל, מְהַקְטִיל; sed ante Infinitivum cum Præpositione semper fere retinetur, v. c. לְהַקְטִיל.

§ 51.

Vocalis ִי impura (§ 17.) in Præterito semper et in Participio plerumque retinetur; Infinitivus vero, Imperativus et Futurum alteram quoque habent formam cum *Tsere* puro (§ 18.), v. c. הַשְׁמֵד et הַשְׁמִיד (perdendo *Inf. absol.*), הַשְׁמֵן (pinguem redde), et הַצְלַח (felix esto).

§ 52.

Futurum cum *Tsere* puro non minus atque Futurum *contractum* Verborum ע״ו (§ 87.) et *apocopatum* verborum ל״ה (§ 94.) usurpari solet a) post Vav conversivum (§ 39.), v. c. וַיַּבְדֵּל (et separavit); b) ad jubendum et optandum, v. c. יַכְרֵת *exstirpet*, contra יַכְרִית *exstirpabit*; תּוֹצֵא *proferat*, contra תּוֹצִיא *proferet*; c) ad prohibendum, v. c. אַל תַּסְתֵּר *ne abscondas*. Habet itaque vim Optativi et Subjunctivi Latinorum.

D. HITHPAEL.

§ 53.

In Conjugatione *Hithpaël* (הִתְפַּעֵל), quæ exstitit e *Piel*, ת syllabæ præformativæ הִתְ haud raro aut loco movetur aut primæ Radicali adsimilatur. In omnibus enim Verbis, quæ incipiunt a literâ *Dentali* (ז, ס, צ, שׁ, § 3.), ת in hujus literæ locum trajicitur, ut v. c. dicatur הִשְׁתַּמֵּר (cavit

sibi) pro השתמר; qua trajectione ת subinde etiam mutatur in ט, v. c. הצטדק (se justum probavit) pro הצתדק a צדק. Adsimilatur vero ת primis Radicalibus ד, ט, ת, v. c. הדבר pro התדבר, et sic הטהר, התמם; rarius primis Radicalibus נ et כ, v. c. הנבא (vaticinatus est) pro התנבא, הכסה (se operuit) pro התכסה.

§ 54.

Significatio illius a) Reflexiva plerumque est generis *Piel*, v. התעשר *se divitem reddidit* ab עשר (dives fuit); hincque sæpe notat *se exhibere, se gerere, simulare*, v. c. התחכם *se callidum exhibuit*, התגדל *superbe se gessit*, proprie *se magnum fecit*, התחלה *ægrotum simulavit*; b) eadem interdum est ac *Medii* Græcorum, v. c. התפתח *solvit sibi* (h. e. *in suam utilitatem*); c) rarius Passiva generis *Piel*, v. c. התפקד *recensitus est* a פקד (recensuit).

§ 55.

Jam videamus Paradigma:

Præter.

	Sing.				*Plur.*		
	masc.	*comm.*	*fem.*	*masc.*	*comm.*	*fem.*	
3	התקטל		התקטלה		התקטלו		3
3	התקטלת		התקטלת	התקטלתם		התקטלתן	2
1		התקטלתי			התקטלנו		1

Infinit.

התקטל

Imperat.

	Sing.		*Plur.*	
2	*m.* התקטל	*f.* התקטלי	*m.* התקטלו	*f.* התקטלנה 2

Futur.

	Sing. masc.	comm.	fem.	*Plur.* masc.	comm.	fem.	
3	יתקטל		תתקטל	יתקטלו		תתקטלנה	3
2	תתקטל		תתקטלי	תתקטלו		תתקטלנה	2
1		אתקטל			נתקטל		1

Particip.

Masc. מתקטל; *fem.* מתקטלה, מתקטלת.

§ 56.

Patach pro *Tsere* hic non in Præterito solum (cf. § 46.) v. c. התחזק (fortem se præstitit), sed in Futuro quoque et Imperativo frequens est, v. c. יתיצב (consistet), התענג (oblecta te).

Not. Passiva forma *Hothpaal* s. *Hythpaal*, cujus paucissima tantum reperiuntur exempla, eamdem fere habet significationem atque *Hithpaël*, v. c. התפקדו *recensiti sunt*, הטמא *se inquinavit.*

E. CONJUGATIONES RARIORES.

§ 57.

Poël, *Poal* et *Hithpoël*, quæ frequentes sunt in Verbis ע״ע (§ 72), rariores in regularibus Verbis, v. c. שורש (radices egit), eâdem ratione flectuntur ac *Piel*, *Pyal* et *Hithpaël*, ut קוטל, יקוטל, קוטלו, יקוטלנה, —קוטל, תקוטל, יקוטל, —מקוטל, התקוטל, מתקוטל. Ubi ejusdem Verbi et *Piel* et *Poël* reperiuntur, subinde eadem est utriusque significatio, subinde diversa; v. c. רצץ et רוצץ *pres-*

sit, sed סַבֵּב *convertit*, סוֹבֵב *circumdedit*. Passiva forma est *Poal*, Reflexiva *Hithpoël*, v. c. עוֹלַל (factus est), הִתְגּוֹלֵל (se volutare).

§ 58.

Pilel et *Pylal*, ut קְטָלֵל, קְטֻלַל, propriæ sunt Verbis ע״ו (§ 86.) nec præterea nisi rarissime usurpantur, v. c. שַׁאֲנַן (tranquillus fuit), אֻמְלַל (languit).

Rariores etiam sunt formæ *Pilpel*, v. c. סִלְסֵל (extulit), *Pealpal* (קְטַלְטַל), *Peopel* (קְטוֹטַל), aliæ; quæ uni vel paucis admodum Verbis propriæ sunt.

§ 59.

Paucissima Verba *quadrilittera*, h. e. quæ quatuor habent diversas Radicales, v. c. כִּרְסֵם (disturbavit), כֻּרְבַּל (vestitus est), ratione formæ proxime accedunt ad *Piel* et *Pyal* atque orta esse videntur e duorum Verborum confusione, v. c. רֻטֲפַשׁ (revixit) e רָטַב (succosus fuit) et טָפַשׁ (pinguis factus est).

VERBA CUM GUTTURALIBUS.

§ 60.

Cum *prima* Radicalis est gutturalis (§ 3.), pro *Scheva* simplici fere accipit compositum (§ 7 et 8.), v. c. עֲמֹד (subsiste), אֱסֹף (collige): quo fit, ut *Scheva* Præformativæ transeat in Vocalem, quacum illud *Scheva* est compositum, ideoque dicatur יַעֲמֹד, יֶאֱסֹף, נֶעֱמַד, הֶעֱמִיד, הָעֳמַד (§ 19.). Vocali autem posterioris syllabæ abjectâ *Scheva* compositum in brevem suam Vocalem mutatur, v. c. תַּעַמְדִי, יַעַמְדוּ, אֶעֶמְדָה. Quodsi vero etiam *Scheva* sim-

lex sub primâ gutturali retinetur, Præformativa tamen illius eam accipit Vocalem, quacum *Scheva* fuisset componendum, v. c. יַחְמֹד (desiderabit), יַחֲבֹשׁ (ligabit); paucissimis verbis exceptis, ut יִהְיֶה (erit) יִחְיֶה (vivet). Porro in Infinitivo, Imperativo et Futuro *Niphal* Vocalis Præformativæ ante gutturalem mutatur in *Tsere* (§ 18. b.), v. c. הֵאָמֵר (dici) יֵעָבֵד (coletur).

§ 61.

Cum *media* Radicalis est gutturalis, in Futuro et Imperativo semper habet *Patach* pro *Cholem*, ut יִזְעַק, זְעַק, a זָעַק (clamavit), יִבְחַר, בְּחַר a בָּחַר (elegit); quamvis vero illa in *Piel, Pyal* et *Hithpaël* respuit *Dagesch forte* (§ 18. b.), præcedens Vocalis brevis plerumque retinetur, v. c. שִׂחֵק (jocatus est), Infin. שַׂחֵק, רִחַץ (lotus est), הִטַּהֲרוּ (mundate vos), nec fere in longam mutatur nisi ante א, v. c. מֵאֵן (recusavit), non מִאֵן.

§ 62.

Ubi tandem *tertia* Radicalis gutturalis est, v. c. שָׁמַע (audivit), sive servatâ posterioris syllabæ Vocali adsciscit *Patach furtivum* (§ 9.), sive in locum hujus Vocalis *Patach* succedit. Servantur autem in posteriori syllabâ Vocales ִי, וּ et וֹ impurum (§ 17.), ut dicatur שָׁמוּעַ, שְׁמוֹעַ, הִשְׁמִיעַ, יַשְׁמִיעַ, מַשְׁמִיעַ: in *Patach* immutatur posterioris syllabæ Vocalis in Futuro et Imperativo *Kal*, ut יִשְׁמַע, שְׁמַע: *Tsere* tandem in posteriori syllabâ alias retinetur alias in *Patach* immutatur. Ac retinetur quidem a) plerumque in Participio *Kal* et *Piel*, ut שֹׁמֵעַ, מְשַׁלֵּחַ (ejiciens); b) in Infinitivo absoluto, ut שַׁלֵּחַ, cum in constr. dicatur שַׁלַּח; c) in Futuro

Niphal, in Præterito, Infinitivo et Futuro *Piel*, ubi verbum est enuntiationis extremum (cf. § 20.), v. c. יִגָּרַע (diminuetur), גִּדַּע (succidit), בַּלַּע (absorbere), יְבַקַּע (discindet), cum alias fere semper dicatur יִגָּרַע, גִּדַּע, בַּלַּע, יְבַקַּע.

§ 63.

Litera ר, ubi *Dagesch forti* esset duplicanda, semper efficit, ut præcedens Vocalis brevis transeat in longam (§ 18. b.), v. c. אֵרָפֵא (sanabor), יְבָרֵךְ (fortunabit); rarius præcedentem Vocalem convertit in *Patach*, v. c. וַיַּרְא (et vidit) pro וַיֵּרְא, הַמַּר (exacerbavit) pro הֵמֵר (Inf. *Hiph.* v. מָרַר).

VERBORUM FORMÆ SUFFIXIS PRONOMINIBUS MUTATÆ.

§ 64.

Cum Pronomina Verbis suffiguntur (§ 26.), horum formas quoque ob tonum projectum immutari oportet. Ac *Præteriti* quidem formæ cum *Suffixis* hæ sunt:

Sing. masc.	fem.	*Plur.*	
3 קְטָל (קְטַל ante כֶם et כֶן) —	קְטָלַת	קְטָלוּ *comm.*	3
2 קְטַלְתָּ	קְטַלְתִּי	קְטַלְתּוּ (pro קְטַלְתֶּם)	*m.* 2
1 *comm.* קְטַלְתִּי (eadem forma ac 2. pers. *fem.*)		קְטַלְנוּ *comm.*	1

observandum, קְטָלַת (3 *s. f.*) jungi cum Pronominibus a Consonante incipientibus, v. c. קְטָלַתְנִי, קְטָלַתְךָ, קְטָלַתְהָ, קְטָלַתְהוּ (contr. קְטָלַתּוּ, קְטָלַתָּה); idque contra legem § 26. extr. indicatam.

Not. Terminationes ת ַ (3. *s. f.*), תְּ (2. *s. f.*) ac תוּ (2. *pl. m.*) eædem sunt in duabus reliquis Conjugationibus quibus Pronomina suffiguntur, *Piel* et *Hiphil*. *Tsere* generis *Piel* ante Pronomina ךָ, כֶם, כֶן transit in *Segol*, ut קִטֶּלְךָ, קִטֶּלְכֶם; ante reliqua abjicitur, ut קִטְּלַנִי, קִטְּלוֹ, קִטְּלָהּ.

§ 65.

Infinitivus et *Imperativus* (קְטֹל) abeunt in formam קָטְל, ut לְקָטְלֵנִי (ad occidendum me), קָטְלֵהוּ (occide eum); sed ante ךָ, כֶם, כֶן Infinitivus fere abit in קְטָל (k'tol), ut לְקָטָלְךָ (ad occidendum te).

§ 66.

In *Futuro Kal* personæ omnes, quæ tertiâ Radicali terminantur, posterioris syllabæ Vocalem amittunt, ut יִקְטְלֵנִי, אֶקְטְלֵהוּ, נִקְטָלְךָ; sed ante ךָ, כֶם, כֶן eam permutant cum *Kamets-chatuph*, ut יִקְטָלְכֶם, נִקְטָלְךָ. Pro תִּקְטֹלְנָה ante *Suffixa* usitata tantum est forma masc. תִּקְטְלוּ. — Verba Futuri *A* (§ 37.) retinent fere hunc sonum, sed productum in *Kamets*, v. c. יִלְבָּשֵׁנִי (vestiet me), יִשְׁמָעֵנִי (audiet me). — *Tsere* in Futuro *Piel* iisdem atque in Præterito (§ 64. extr.) mutationihus est obnoxium: quarum exempla sint יְקַטְּלוֹ, אֲקַטְּלֵם, יְקַטֶּלְכֶם.

DE VERBO IRREGULARI.

§ 67.

Ad enumeranda Verborum Irregularium (anomalorum) genera Grammatici etiamnum adhibent Vetus Paradigma פָּעַל (§ 34.), appellantque in his Verbis primam Radicalem פ, alteram ע, tertiam ל; ut verbum פ״א dicatur, cujus prima Radicalis est א, v. c. אָמַר; verbum ע״ו, cujus media Radicalis est ו, v. c. קוּם; verbum ל״ה, cujus tertia Radicalis est ה, v. c. גָּלָה; verbum ע״ע sive verbum geminans ע, cujus tertia Radicalis eadem est ac media, v. c. סָבַב.

§ 68.

Sunt autem duo omnino horum Verborum genera, alterum *defectivorum*, alterum *quiescentium* (§ 35.). Ad *defectiva* pertinent verba פ״ן (ad quæ accedunt plura פ״י) et ע״ע (§ 72-76.); ad *quiescentia* verba פ״א (§ 77. sq.), פ״י (§ 79-83.), ע״ו (§ 84-87), ע״י (§ 88.), ל״א (§ 89. sq.) et ל״ה (§ 91-97.). De singulis cum seorsum viderimus, pauca adjiciemus de illorum omnium *affinitate* (§ 99-101.) ac de Verbis *dupliciter anomalis* (§ 98.).

VERBA DEFECTIVA.

A. VERBA פ״ן (נָגַשׁ adpropinquavit).

§ 69.

In Imperativo et Infinitivo constructo נ plerumque abjicitur, v. c. גַּשׁ. שַׁק (osculare), שְׂאֵת (ferre) pro

נְגַע, נְשַׁק, נְשׂוֹא; sed Infinitivus semper fere habet formam femininam ‎ֶ ת aut, ubi tertia Radicalis est gutturalis, ‎ַ ת, v. c. גֶּשֶׁת, גַּעַת (tangere) a נָגַע; et Imperativus pro *Patach* interdum *Tsere*, v. c. גֵּשׁ, תֵּן (da).

§ 70.

Litera נ adsimilatur fere mediæ Radicali in iis formis, ubi illa esset primam syllabam terminatura, v. c. יִגַּשׁ, *Niph.* נִגַּשׁ, *Hiph.* הִגִּישׁ, הֻגַּשׁ, יַגִּישׁ pro יִנְגַּשׁ, נִנְגַּשׁ etc.: in quo animadvertendum, rarius esse in *Kal* Futurum *O* (§ 37.) ut יִפֹּל (cadet), יִקֹּב (perforabit), et unius prope exempli יִתֵּן (dabit). Ceterum hæc adsimilatio cum alias interdum omittitur, v. c. תִּנְגֹּשׂוּ (exigetis), יִנְטֹר (reservabit), tum maxime ubi media Radicalis est gutturalis, v. c. יִנְחַל (possidebit), יִנְאַץ (contemnet).

§ 71.

Iisdem prorsus anomaliis obnoxium est Verbum לָקַח (sumsit), ut dicatur in Fut. יִקַּח, in Imper. קַח, in Inf. constr. קַחַת, in Fut. *Hoph.* יֻקַּח pro יֻלְקַח, לְקַח etc.; in *Niphal* vero retinetur נִלְקַח. Adsimilatio porro eadem atque in Verbis פ״ן reperitur etiam in pluribus Verbis פ״י, in iis præcipue quorum media Radicalis est צ, v. c. יָצַק (fudit), יָצַר (formavit), ut dicatur יִצֹּק, אֶצֹּר. Sic etiam *Hiph.* הִנִּיחַ (posuit) a *Kal* inus. יָנַח.

Ad verbum נָתַן (dedit) monendum est, ejus tertiam quoque Radicalem adjectis literis haud raro adsimilari, v. c. נָתַתִּי, נְתַתֶּם, Infin. constr. תֵּת pro תֶּנֶת et cum Suff. תִּתִּי (*het geven door mij*).

B. VERBA ע״ע (סָבַב circumdedit).

§ 72.

Anomalia horum Verborum in eo consistit, ut in *Kal*, *Niphal* et *Hiphil* duæ posteriores Radicales contrahantur in unam, hæcque accipiat Vocalem quam habitura esset Radicalis media in formâ regulari, ac *Dagesch forti* duplicetur formâ in fine auctâ. Quæ ut fieri possit duplicatio ante Afformativas a Consonante incipientes, in Præterito inseritur וֹ, in Futuro ֵי.

Ceterum pro *Piel*, *Pyal* et *Hithpaël*, quæ regulares sunt, sæpe in his Verbis reperiuntur formæ rariores *Poël*, *Poal* et *Hithpoël* (§ 57.), aliquoties *Pilpel* (§ 58.) ejusque forma Reflexiva, v. c. גִּלְגֵּל (devolvit), הִתְמַרְמַר (exacerbatus est).

§ 73.

Sequantur nunc Paradigmata irregularium formarum, quarum in V. T. exempla reperiuntur, ac primo quidem loco

KAL.

Præterit.

	Sing. masc.	comm.	fem.	*Plur.* masc.	comm.	fem.	
3	סַב		סַבָּה		סַבּוּ		3
2	סַבּוֹתָ		(deest)	סַבּוֹתֶם		(deest)	2
1		סַבּוֹתִי			סַבּוֹנוּ		1

Infinit.

Forma absol. (reg.) סָבוֹב. *Forma constr.* סֹב.

Imperat.

	Sing.		Plur.	
2	*masc.* סֹב	*fem.* סֹבִּי	*masc.* סֹבּוּ	*fem.* (deest). 2

Futur.

	Sing. masc.	comm.	fem.	*Plur.* masc.	comm.	fem.	
3	יָסֹב		תָּסֹב	יָסֹבּוּ		תְּסֻבֶּינָה	3
2	תָּסֹב		תָּסֹבִּי	תָּסֹבּוּ		(deest)	2
1		אָסֹב			נָסֹב		1

Particip. (reg.)

Activ. סוֹבֵב. *Pass.* סָבוּב.

Raræ admodum sunt formæ Præteriti סֹבּוּ (pro סַבּוּ), Infinitivi סַב, et Infinitivi ac Futuri סוֹב, יָסוֹב. Futurum cum *Vav conversivo* est וַיָּסָב (cf. § 18. a. et § 87).

§ 74.

NIPHAL.

Præterit.

	Sing. masc.	comm.	fem.	*Plur.* masc.	comm.	fem.	
3	נָסַב		נָסַבָּה		נָסַבּוּ		3
2	(deest)		(deest)	נְסַבּוֹתֶם		(deest)	2
1		נְסַבּוֹתִי			נְסַבּוֹנוּ		1

Infin. et *Imper.*

הִסַּב.

Futur.

	Sing.			Plur.		
masc.	comm.	fem.	masc.	comm.	fem.	
3 יִסַּב		תִּסַּב	יִסַּבּוּ		(deest)	3
2 תִּסַּב		תִּסַּבִּי	תִּסַּבּוּ		(deest)	4
1	אֶסַּב			נִסַּב		1

Partic.

Masc. נָסָב; *fem.* נְסַבָּה.

Not. Pro *Patach* in alterâ syllabâ interdum reperitur *Tsere*, interdum *Cholem* (cf. § 37.) v. c. נָקֵל (leve est), נָרוֹץ (frangitur) : et in Præterito ac Participio, ante Gutturales maxime, Præformativa נ subjectum etiam habet *Chirek* (cf. § 41.), v. c. נִחַל (contaminatus est).

§ 75.

HIPHIL.

Præter.

	Sing.			Plur.		
masc.	comm.	fem.	masc.	comm.	fem.	
3 הֵסֵב		הֵסֵבָּה		הֵסֵבּוּ		3
2 הֲסִבּוֹתָ		(deest)	(deest)		(deest)	2
1	הֲסִבּוֹתִי			(deest)		1

Infinit.

הָסֵב.

Imperat.

Sing.		Plur.	
2 *masc.* הָסֵב	*fem.* הָסֵבִּי	*masc.* הָסֵבּוּ	*fem.* (deest) 2

Futur.

	Sing.		*Plur.*			
	masc.	*comm.*	*fem.*	*masc.*	*comm.*	*fem.*
3	יָסֹב		תָּסֹב	יָסֹבּוּ		תְּסֻבֶּינָה 3
2	תָּסֹב		תָּסֹבִּי	תָּסֹבּוּ		תְּסֻבֶּינָה 2
1		אָסֹב			נָסֹב	1

Particip.

מֵסֵב.

Not. Formæ Passivæ (*Hophal*) in Præterito tertia tantum persona הוּסַב, *f.* הוּסַבָּה usitata est. Participium est מוּסָב, Futurum יוּסַב, תּוּסַבִּי, תּוּסַבֶּינָה etc. *Tsere* in *Hiphil* subinde commutatum est cum *Patach*, v. c. הֵסַבּוּ, הֵקַל (levavit), הֵרַךְ (emollivit), הָבַר (purgare).

§ 76.

Universe ad hæc Verba monendum est, a) Præformativas accipere longas pro brevibus Vocales, ubi collocatæ sunt in syllabâ simplici quæ formâ plenâ foret composita (§ 18. b.); cum יָסֹב dicatur pro יִסְבֹּב (irreg. pro יִסֹּב), נָסַב pro נִסְבַב (נִסְבַּב), יָסֵב pro יַסְבֵּב; b) sæpe etiam regulares formas exstare, v. c. סָבַב, זָמַמְתִּי (cogitavi), בָּזַזְנוּ (prædati sumus); c) Futurum *Kal* et *Hiphil* in pluribus Verbis ita formari, ut primæ Radicali imponatur *Dagesch forte*, v. c. יִסֹּב pro יָסֹב, יִדֹּם (exstinguet) pro יָדֹם, יַתֵּם (perficiat) pro יָתֵם.

VERBA QUIESCENTIA.

A. VERBA QUIESCENTIA פ״א (אָמַר dixit).

§ 77.

Quinque præcipue huc pertinent Verba, אָבַד (periit), אָבָה (voluit), אָכַל (comedit), אָמַר (dixit) et אָפָה (coxit); quorum א in Futuro *Kal* semper quiescit in *Cholem* ac media Radicalis accipit aut *Patach* aut, in fine potissimum enuntiationis, *Tsere*; v. c. יֹאכַל, תֹּאכַל, תֹּאכְלִי, נֹאכַל, תֹּאכַלְנָה, sive יֹאכֵל, תֹּאכֵל, etc.; יֹאמַר s. יֹאמֵר, יֹאבַד s. יֹאבֵד, etc. — Utraque forma et quiescens et non quiescens (§ 60.) in paucis admodum Verbis reperitur, v. c. יֹאסֵף et יֶאֱסֹף (colliget). — Rarius א quiescit in *Tsere*, v. c. תֵּאתֶה (veniet), אֵהַב (cf. § 78.), semper vero in Infinitivo לֵאמֹר (dicendo), pro לֶאֱמֹר.

§ 78.

Radicalis א semper ejicitur post Præformativam א, ut אֹמַר, אֹבַד (pro אֹאמַר, אֹאבַד), אֵהַב (amabo, pro אֵאהַב h. e. אֶאֱהַב); rarius post reliquas Præformativas, v. c. יֹמְרוּ (dicent), תֹּסֵף (colligas), מֵזִין Partic. *Hiph.* הֶאֱזִין (auscultavit).

B. VERBA QUIESCENTIA פ״י,

quorum Radicalis est ו (Verba פ״ו) (יָשַׁב habitavit).

§ 79.

Huc referuntur Verba quorum prima Radicalis ו convertitur in י, quotiescumque illa in vocis initio collocatur; v.

c. יָלַד (peperit), יָשַׁב (habitavit), יָצָא (exiit), cum sit Infinitivus *Niph.* הִוָּלֵד (natus est), Infin. et Præt. *Hiph.* הוֹשִׁיב (collocare, collocavit), Præt. fem. *Hoph.* הוּצְאָה (educta est).

§ 80.

Radicalis י tum in Imperativo et Infinitivo constr. *Kal*, tum in ejusdem Futuro, ubi in *Tsere* quiescere debuisset, abjicitur; v. c. Imp. לֵד pro יְלֵד, Inf. דַּע pro יְדַע (a יָדַע cognovit), Fut. יֵלֵד pro יֵילֵד. Sed Infinitivus fere habet terminationem Nominis feminini ֶ‍ת (§ 102.), v. c. לֶדֶת; quæ, ubi gutturalis est postrema Radicalis, immutatur in ַ‍ת, v. c. דַּעַת.

§ 81.

Formæ itaque a communibus discrepantes ex hoc Paradigmate cognoscentur:

KAL.

Infinit. absol. (reg.) יָשׁוֹב. *Infinit. constr.* שֶׁבֶת.

Imper.

	Sing.		*Plur.*		
2	*masc.* שֵׁב	*fem.* שְׁבִי	*masc.* שְׁבוּ	*fem.* שֵׁבְנָה	2

Futur.

	Sing. *masc.*	*comm.*	*fem.*	*Plur.* *masc.*	*comm.*	*fem.*	
3	יֵשֵׁב		תֵּשֵׁב	יֵשְׁבוּ		תֵּשַׁבְנָה	3
2	תֵּשֵׁב		תֵּשְׁבִי	תֵּשְׁבוּ		תֵּשַׁבְנָה	2
1		אֵשֵׁב			נֵשֵׁב		1

NIPHAL.

Præt. נוֹשַׁב. Infin. et Imper. הִוָּשֵׁב. Fut. יִוָּשֵׁב. *Part.* נוֹשָׁב.

HIPHIL.

Præt. הוֹשִׁיב, הוֹשַׁבְתָּ etc. *Infin.* הוֹשִׁיב. *Imp.* הוֹשֵׁב. *Fut.* יוֹשִׁיב (יוֹשֵׁב). *Part.* מוֹשִׁיב.

HOPHAL.

Præt. הוּשַׁב. *Inf.* הוּשַׁב. *Imp.* (deest). *Part.* מוּשָׁב.

C. VERBA QUIESCENTIA פ״י,

quæ Radicalem habent י (יָטַב bonus fuit).

§ 82.

Horum Verborum, ut יָסַד (fundavit), יָרֵא (timuit), יָנַק (suxit), in eo consistit anomalia, ut in Futuro *Kal* Rad. י quiescat in *Chirek* alteraque syllaba accipiat *Patach*, v. c. יִיטַב, יִינַק; ut porro in formâ *Hiphil* eadem quiescat in *Tsere*, v. c. הֵיטִיב, Fut. יֵיטִיב.

§ 83.

Quamquam vero duo hæc Verborum genera (§ 79-82.) necessario sunt distinguenda; tamen eadem sæpe Verba ad utrumque genus flectuntur, idque tum in formis diversis, v. c. יִיבַשׁ (exsiccabitur), *Hiph.* הוֹבִישׁ (exsiccavit), יִירַשׁ (possidebit), *Hiph.* הוֹרִישׁ (possidendum dedit); tum in iisdem formis, v. c. יִיקַד et יֵקַד (ardebit), יִיקַר et יִיקַר s. יֵקַר (pretiosus erit).

D. VERBA QUIESCENTIA ע״ו (קוּם surgere).

§ 84.

Horum Verborum media Radicalis ו semper quiescit, v. c. Inf. abs. קוֹם pro קְוֹם, Part. pass. קוּם pro קָווּם; eademque, ubi alterius syllabæ Vocalis est *A*, transit in א, ubi *E* aut *I*, in י, v. c. קָאם pro קָוַם, מֵית pro מֵוֵת (mortuus est), הֵקִים pro הִקְוִים : quæ tamen vicariæ literæ א et י plerumque ejiciuntur; ut scribatur קָם, מֵת. Cum porro Præformativæ in *Hiphil* et *Hophal* itemque in Fut. *Kal* et Præt. *Niphal* simplicem syllabam (§ 16.) efficiant, brevis earum Vocalis mutatur in longam, diciturque הֵקִים pro הִקְוִים, הוּקַם pro הֻקְוַם, יָקוּם pro יִקְוֻם, נָקוֹם pro נִקְוַם.

§ 85.

In Præt. *Niphal* et *Hiphil* ante Afformativas primæ et secundæ personæ inseritur וֹ, ut נְקוּמוֹתִי, הֲקִימוֹתָ; item ◌ֶי ante terminationem נָה in Fut. *Kal*, ut תְּקוּמֶינָה : quæ insertæ Vocales tonum semper in se recipiunt. Cf. § 72.

§ 86.

Rarissimæ in his Verbis sunt *Piel*, *Pyal* et *Hithpaël*; quarum vicem fere sustinent formæ *Pilel* ejusque Passivum et Reflexivum (§ 58.), v. c. רוֹמֵם (exaltavit) רוֹמַם (exaltatus est), הִתְעוֹרֵר (se excitavit).

§ 87.

Sequantur nunc Paradigmata.

KAL.

Præterit.

	Sing.			*Plur.*			
	masc.	*comm.*	*fem.*	*masc.*	*comm.*	*fem.*	
3	קָם		קָ֫מָה		קָ֫מוּ		3
2	קַ֫מְתָּ		קַמְתְּ	קַמְתֶּם		קַמְתֶּן	2
1		קַ֫מְתִּי			קַ֫מְנוּ		1

Infinit.

Forma absol. קוֹם. *Forma constr.* קוּם.

Imperat.

	Sing.		*Plur.*		
2	*masc.* קוּם,	*fem.* קוּ֫מִי	*masc.* קוּ֫מוּ	*fem.* קֹ֫מְנָה	2

Futur.

	Sing.			*Plur.*			
	masc.	*comm.*	*fem.*	*masc.*	*comm.*	*fem.*	
3	יָקוּם		תָּקוּם	יָקוּ֫מוּ		תְּקוּמֶ֫ינָה	3
2	תָּקוּם		תָּקוּ֫מִי	תָּקוּ֫מוּ		תְּקוּמֶ֫ינָה	2
1		אָקוּם			נָקוּם		1

Futuri *contracti* (§ 52.) exempla sint יָקֹם (surgat), יָשֹׁב (revertatur), תָּמֹת (moriatur ea); post *Vav conversivum* וַיָּ֫קָם, וַיָּ֫שָׁב, וַתָּ֫מָת (cf. § 73. extr.)

Particip.

Activ. קָם, *fem.* קָמָה. *Passiv.* קוּם, *fem.* קוּמָה.

NIPHAL.

Præterit.

	Sing. masc.	Sing. comm.	Sing. fem.	Plur. masc.	Plur. comm.	Plur. fem.	
3	נָקוֹם		נָקוֹמָה		נָקוֹמוּ		3
2	נְקוּמוֹתָ		נְקוּמוֹת	נְקוּמוֹתֶם		נְקוּמוֹתֶן	2
1		נְקוּמוֹתִי			נְקוּמוֹנוּ		1

Infinit.

הִקּוֹם.

Imperat.

	Sing.	Plur.	
2	masc. הִקּוֹם, fem. הִקּוֹמִי	m. הִקּוֹמוּ, f. הִקֹּמְנָה	2

Futur.

	Sing. masc.	Sing. comm.	Sing. fem.	Plur. masc.	Plur. comm.	Plur. fem.	
3	יִקּוֹם		תִּקּוֹם	יִקּוֹמוּ		תִּקֹּמְנָה	3
2	תִּקּוֹם		תִּקּוֹמִי	תִּקּוֹמוּ		תִּקֹּמְנָה	2
1		אֶקּוֹם			נִקּוֹם		1

Particip.

Masc. נָקוֹם; *fem.* נְקוֹמָה.

HIPHIL.

Præterit.

	Sing. masc.	Sing. comm.	Sing. fem.	Plur. masc.	Plur. comm.	Plur. fem.	
3	הֵקִים		הֵקִימָה		הֵקִימוּ		3
2	הֲקִימוֹתָ		הֲקִימוֹת	הֲקִימוֹתֶם		הֲקִימוֹתֶן	2
1		הֲקִימוֹתִי			הֲקִימוֹנוּ		1

Infinit.

Forma abs. הָקֵים, הָקֵם. *Forma constr.* הָקִים.

Imperat.

	Sing.		*Plur.*	
2	*masc.* הָקֵם,	*fem.* הָקִימִי	*masc.* הָקִימוּ,	*fem.* הָקֵמְנָה 2

Futur.

	Sing.			*Plur.*		
	masc.	*comm.*	*fem.*	*masc.*	*comm.*	*fem.*
3	יָקִים		תָּקִים	יָקִימוּ		תְּקֵמֶנָה 3
2	תָּקִים		תָּקִימִי	תָּקִימוּ		תְּקֵמֶנָה 2
1		אָקִים			נָקִים	1

Particip.

Masc. מֵקִים; *fem.* מְקִימָה.

HOPHAL.

Præter. הוּקַם. *Plur.* הוּקְמוּ. *Fut.* יוּקַם, *Plur.* יוּקְמוּ.

E. VERBA QUIESCENTIA ע״י (בִּין intelligere).

§ 88.

Plurima horum Verborum eamdem simul habent formam ac Verba ע״ו (§ 84—87.); ut promiscue dicatur לִין et לוּן (pernoctare), חִיל et חוּל (dolere), שִׂים et שׂוּם (ponere). Quæ autem proprie huc pertinent, ut בִּין, רִיב (litigare), צִיץ (splendere), שִׁית (ponere), eorum pleraque a Verbis ע״ו distingui nequeunt nisi in Infinitivo constr., Imperat. et Fut. *Kal*, ubi Radicalis י quiescit in *Chirek*. Eorum itaque formæ hæ sunt :

KAL.

Præt. בָּן, 2 *pers.* בַּנְתָּ etc. Raræ admodum sunt formæ בִּינוֹתִי, רִיבוֹתָ. — *Infin. abs.* רוֹב s. רָב. — Infin. constr. בִּין, Imper. בִּין, Fut. יָבִין, תָּבִין etc. — *Partic.* בָּן.

Futuri *contracti* (§ 52. coll. § 87.) formæ sunt יָרֵב (litiget), cum *Vav conv.* וַיָּרֶב, יָשֵׂם (ponat), יָגֵל (gaudiis exsultet).

NIPHAL (ut Verborum ע״ו).

Præt. נָבוֹן, 2 *pers.* נְבוּנוֹתָ etc. *Inf.* et *Imp.* הִבּוֹן, *Fut.* יִבּוֹן, *Part.* נָבוֹן.

HIPHIL et *HOPHAL* (ut Verborum ע״ו).

Præt. הֵבִין, *Inf.* הָבִין, *Fut.* (ut *Kal*), *Imp.* הָבֵן, *Part.* מֵבִין. — *Hoph.* הוּבַן, *Fut.* יוּבַן, *Part.* מוּבָן.

PILEL, PYLAL et *HITHPALEL*,

quæ formæ solæ usitatæ sunt pro *Piel*, *Pyal* et *Hithpaël*, בּוֹנֵן, בּוֹנַן, הִתְבּוֹנֵן, (cf. § 86.).

F. VERBA QUIESCENTIA ל״א (מָצָא invenit).

§ 89.

Anomalia horum Verborum eo continetur, ut Radicalis א quiescat a) in *Kamets* in Præter., Imper. et Fut. *Kal*, item in Præt. *Niphal*, ut מָצָא, מְצָא, יִמְצָא, נִמְצָא; b) in *Tsere* ante Afformativas Præteriti a ת et נ incipientes in reliquis formis præter *Kal*, ut *Niph.* נִמְצֵאתָ, נִמְצֵאנוּ,

Hiph. המצאתי, המצאתם; c) in *Segol* ante terminationem נה omnium Futurorum et Imperativorum, ut Fut. *Kal* ימצאנה, Imp. *Piel* מצאנה, Fut. *Hiph.* תמצאנה: — Præterea terminatio את fem. Part. *Kal* contrahitur in את.

§ 90.

Subjiciamus Paradigma unius *Kal*, cum nihil habeat difficultatis reliquarum Conjugationum formatio.

Præterit.

	Sing. masc	*Sing.* comm.	*Sing.* fem.	*Plur.* masc.	*Plur.* comm.	*Plur.* fem.	
3	מצא		מצאה		מצאו		3
2	מצאת		מצאת	מצאתם		מצאתן	2
1		מצאתי			מצאנו		1

Infinit.

Forma abs. מצוא. *Forma constr.* מצא.

Imperat.

	Sing.		*Plur.*	
2	*masc.* מצא,	*fem.* מצאי	*masc.* מצאו,	*f.* מצאנה 2

Futur.

	Sing. masc.	*Sing.* comm.	*Sing.* fem.	*Plur.* masc.	*Plur.* comm.	*Plur.* fem.	
3	ימצא		תמצא	ימצאו		תמצאנה	3
2	תמצא		תמצאי	תמצאו		תמצאנה	2
1		אמצא			נמצא		1

Particip.

Activ. מצא, *fem.* מצאת. *Passiv.* מצוא.

G. VERBA QUIESCENTIA ל״ה (גָּלָה revelavit).

§ 91.

Proprie horum Verborum tertia Radicalis est י (rarissime ו, v. c. שָׁלַוְתִּי tranquillus fui); in cujus locum sufficitur litera ה in formis omnibus quæ a fine non augentur, excepto tantum Participio pass. *Kal*. Et hæc quidem litera in *omnium Conjugationum* Præteritis quiescit in *Kamets*, in Futuris et Participiis act. in *Segol*, in Imperativis in *Tsere*, in Infinitivis in *Cholem*.

§ 92.

Primaria Radicalis י restituitur ante Afformativas a Consonantibus (ת, נ) incipientes et quiescit in Præt. *Kal* in *Chirek*, in Præteritis reliquarum Conjugationum in *Tsere*, in Futuris et Imperativis in *Segol*. Prorsus autem tertia illa Radicalis cum præcedente Vocali ejicitur ante Afformativas a Vocalibus (וּ, ִי) incipientes, itemque ante terminationes Participiorum ָה et ִים, v. c. גֹּלָה, גֹּלִים, et ante *Suffixa* (§ 26.), v. c. עָנָנִי (respondit mihi), יַעַנְךָ (respondebit tibi, ab עָנָה); sed in tertiâ pers. Præter. fem. commutatur cum ת, v. c. גָּלָתָה, גָּלְתָה.

§ 93.

Sequatur Paradigma Conjugationis *Kal*:

Præterit.

	Sing.			*Plur.*		
	masc.	*comm.*	*fem.*	*masc.*	*comm.*	*fem.*	
3	גָּלָה		גָּלְתָה		גָּלוּ		3
2	גָּלִיתָ		גָּלִית	גְּלִיתֶם		גְּלִיתֶן	2
1		גָּלִיתִי			גָּלִינוּ		1

Infinit.

Forma abs. גָּלֹה, גָּלוֹ. *Forma constr.* גְּלוֹת.

Imperat.

	Sing.		*Plur.*	
2	*masc.* גְּלֵה,	*fem.* גְּלִי	*masc.* גְּלוּ,	*fem.* גְּלֶינָה 2

Futur.

	Sing. *masc.*	*comm.*	*fem.*	*Plur.* *masc.*	*comm.*	*fem.*	
3	יִגְלֶה		תִּגְלֶה	יִגְלוּ		תִּגְלֶינָה	3
2	תִּגְלֶה		תִּגְלִי	תִּגְלוּ		תִּגְלֶינָה	2
1		אֶגְלֶה			נִגְלֶה		1

Particip.

Activ. גֹּלֶה, *fem.* גֹּלָה. *Pass.* גָּלוּי, *fem.* גְּלוּיָה.

§ 94.

In Futuris omnium Conjugationum frequens est abjectio terminationis ֶה (*Fut. apocopatum*, § 52.); qua factâ in *Kal* a) prima Radicalis plerumque adsciscit *Segol* aut, si sequitur Gutturalis, *Patach* (Vocc. *furtivæ*, § 19. not.), v. c. יִגֶל pro יִגְל, וַיִּשַׁע pro וַיִּשְׁע (et respexit); b) *Chirek* Præformativæ insuper aliquoties mutatur in *Tsere* v. c. יֵרֶא (videat), וַתֵּרֶב (a רָבָה); c) Verba primæ Gutturalis (§ 60.) hanc fere accipiunt formam: וַיַּעַשׂ (et fecit, ab עָשָׂה), וַיַּעַן (et respondit, ab עָנָה); d) formæ יְהִי et יְחִי (pro יִהְיֶה et יִחְיֶה, § 60.) Verborum הָיָה (fuit) et חָיָה (vixit) mutantur in יְהִי et יְחִי.

§ 95.

Formæ Conjugationis *Niphal* hæ sunt : Præt. נִגְלָה, נִגְלְתָה, נִגְלֵיתָ etc. ; Infin. absol. נִגְלֹה, constr. הִגָּלֹת ; Fut. יִגָּלֶה etc. ; Particip. נִגְלֶה.

§ 96.

Conjugationis *Piel*, unde facile etiam formantur *Pyal* et *Hithpaël*, hoc est Paradigma :

Præterit.

	Sing. masc.	comm.	fem.	*Plur.* masc.	comm.	fem.	
3	גִּלָּה		גִּלְּתָה		גִּלּוּ		3
2	גִּלִּיתָ		גִּלִּית	גִּלִּיתֶם		גִּלִּיתֶן	2
1		גִּלִּיתִי			גִּלִּינוּ		1

Infinit.

Forma abs. גַּלֵּה. *Forma constr.* גַּלּוֹת.

Imperat.

	Sing.		*Plur.*		
2	*masc.* גַּלֵּה,	*fem.* גַּלִּי	*masc.* גַּלּוּ,	*fem.* גַּלֶּינָה	2

Futur.

	Sing. masc.	comm.	fem.	*Plur.* masc.	comm.	fem.	
3	יְגַלֶּה		תְּגַלֶּה	יְגַלּוּ		תְּגַלֶּינָה	3
2	תְּגַלֶּה		תְּגַלִּי	תְּגַלּוּ		תְּגַלֶּינָה	2
1		אֲגַלֶּה			נְגַלֶּה		1

Particip.

Masc. מְגַלֶּה, *plur.* מְגַלִּים. *Fem.* מְגַלָּה.

Not. Pro *Tsere* in alterâ syllabâ sæpe reperitur *Chirek*, v. c. גִּלִּית. In *Futuro* autem *apocopato* (§ 94.) *Dagesch forte* e mediâ Radicali ejicitur, v. c. וַיְצַו (et jussit, a צִוָּה), יְקַו (exspectet, a קִוָּה), et *Hithpa.* וַיִּתְגַּל; item in *Imperativo apocopato*, v. c. הַס (sile) pro הַסֵּה.

§ 97.

Hiphil, cujus analogiam sequitur *Hophal*, ita flectitur:

Præterit.

	Sing. masc.	*Sing. comm.*	*Sing. fem.*	*Plur. masc.*	*Plur. comm.*	*Plur. fem.*	
3	הִגְלָה		הִגְלְתָה		הִגְלוּ		3
2	הִגְלִיתָ		הִגְלִית	הִגְלִיתֶם		הִגְלִיתֶן	2
1		הִגְלִיתִי			הִגְלִינוּ		1

Infinit.

Forma absol. הַגְלֵה. *Forma constr.* הַגְלוֹת.

Imperat.

	Sing.		*Plur.*		
2	*m.* הַגְלֵה,	*f.* הַגְלִי	*m.* הַגְלוּ,	*f.* הַגְלֶינָה	2

Futur.

	Sing. masc.	*Sing. comm.*	*Sing. fem.*	*Plur. masc.*	*Plur. comm.*	*Plur. fem.*	
3	יַגְלֶה		תַּגְלֶה	יַגְלוּ		תַּגְלֶינָה	3
2	תַּגְלֶה		תַּגְלִי	תַּגְלוּ		תַּגְלֶינָה	2
1		אַגְלֶה			נַגְלֶה		1

Particip.

Masc. מַגְלֶה; *fem.* מַגְלָה.

Not. 1. Altera syllaba, ut in *Piel* (§ 96. not.), pro *Tsere* haud raro adsciscit *Chirek*, v. c. הִגְלִית.

Not. 2. *Futurum apocopatum* reperitur et sine Vocali auxiliari (§ 94.), ut יִפְתְּ (dilatet) et additâ hac Vocali: qua quidem efficitur ut in Verbis, quæ non incipiunt a Gutturali, *Patach* Præformativæ transeat in *Segol*, dicaturque וַיֶּגֶל pro וַיִּגֶל, וַיֶּתַע pro וַיִּתַע (et seduxit). Sed *Imperativo apocop.* semper additur *Vocalis furtiva*, ut הֶרֶב pro הַרְבְּ (h. e. הַרְבֵּה, auge), הַעַל pro הַעֲלֵה (ab עָלָה adscendit).

VERBA DUPLICITER ANOMALA.

§ 98.

Verba dupliciter anomala vocantur quorum duæ Radicales anomaliis adhuc memoratis (§ 69—97) obnoxiæ sunt. Eorum hæc potissimum teneantur exempla:

a) Verba פ״ן et ל״א (§ 69—71 et 89, 90.), v. c. נָשָׂא (tulit), *Imper.* שָׂא, *Inf. constr.* שְׂאֵת (pro שֶׂאֶת), cum *Suff.* שְׂאֵתִי, *Fut.* תִּשֶּׂנָה pro תִּשֶּׂאנָה.

b) Verba פ״ן et ל״ה (§ 69—71 et § 91—97.), v. c. נָטָה (deflexit), *Fut.* יִטֶּה, *apoc.* וַיֵּט, *Hiph. Imp. apoc.* הַט; נָכָה (percussit), *Præt. Hiph.* הִכָּה, *Fut.* יַכֶּה, *apoc.* יַךְ, *Imp.* הַכֵּה, *apoc.* הַךְ, *Inf.* הַכּוֹת, *Particip.* מַכֶּה.

c) Verba פ״א et ל״ה (§ 77, 78 et § 91—97.), v. c. אָתָה (venit), *Fut. apoc.* וַיֵּאת pro וַיֶּאֱתֶה; אָפָה (coxit), *Imp.* אֵפוּ pro אֱפוּ, *Fut.* יֹאפוּ, cum *Suff.* תֹּפֵהוּ pro תֹּאפֵהוּ.

d) Verba פ״י et ל״א (§ 79—83 et § 89. sq.), v. c. יָצָא (exiit), *Inf.* צֵאת, *Imp.* צֵא, *Hiph.* הוֹצִיא (eduxit).

e) Verba פ״י et ל״ה (§ 79—83 et § 91—97.), v. c. יָדָה (jecit, *Hiph.* confessus est), *Pi.* וַיַּדּוּ pro וַיְיַדּוּ, *Hiph. Fut.* יוֹדֶה, cum *Suff.* אוֹדְךָ; יָנָה (oppressit) *Fut.* cum *Suff.* נִינֵם, *Hiph.* הוֹנָה, *Fut.* cum *Suff.* תּוֹנֻנוּ; יָרָה (jecit, *Hiph.* ostendit, docuit), *Imp.* יְרוּ, *Inf.* יְרֹה, יְרוֹת, *Fut.* cum *Suff.* נִירָם, *Hiph.* הוֹרָה, *Infin.* הוֹרוֹת, *Fut.* יוֹרֶה, *apocop.* וַיּוֹר, cum *Suff.* תּוֹרְךָ, יוֹרֵנוּ.

f) Verba ע״ו et ל״א (§ 84—87 et § 89. sq.) v. c. בּוֹא (venire), *Præt.* בָּא, בָּאתָ, *Hiph.* הֵבִיא (adduxit), הֵבֵאתָ, *Fut.* יָבִיא, אָבִיא (et אָבִי).

DE VERBORUM IRREGULARIUM AFFINITATE.

§ 99.

Ex iis, quæ adhuc tradita sunt, facile intelligitur singula Verborum Irregularium genera aliorum admodum esse affinia, v. c. Verba פ״ן et פ״י, ע״ו et ע״י, ל״א et ל״ה, ע״ו et ע״ע, פ״ן et פ״י. Sed omnium eo cernitur communis affinitas, quod *duas* tantum habent Radicales immutabiles; quibus ita demum *tertia* accedit, ut aut altera duplicetur (ע״ע), aut נ duabus Radicalibus præponatur, aut una literarum Vocalibus respondentium (א, י, ו, § 4.) illis sive inseratur (ע״י, ע״ו) sive præponatur (פ״א, פ״י) sive postponatur (ל״א, ל״ה). Hinc apparet cur ejusdem sæpe Verbi Irregularis variæ repe-

riantur formæ eamdem omnes radicem (*biliteram*) habentes, v. c. דכך, דוך, דכא, דכה (contrivit, *Rad.* דך); נדד, נוד, נדה (discessit, *Rad.* נד), חול, יחל (exspectavit, *Rad.* חל).

§ 100.

Variæ autem Verborum formæ communem habentes radicem (*biliteram*), licet non omnes, pleræque tamen eamdem habent significationem. Atque sic affinia sunt et formâ et significatione :

a) Verba ע״ו et ע״ע, v. c. מוך et מכך (pauperem fieri), מוש et משש (contrectare), הום et המם (perturbare), גוד et גדד (urgere).

b) Verba פ״י et פ״ן, tum sibi ipsis, v. c. יצב et נצב (posuit), tum Verbis ע״ו, v. c. גור et יגור (timere), רוע et ירע (malum esse), טוב et יטב (bonum esse), פוח et נפח (spirare), פוץ et נפץ (discutere).

c) Verba ל״א et ל״ה, tum sibi ipsis, v. c. דכא et דכה (contrivit), קרא et קרה (occurrit), tum Verbis ע״ו, v. c. דוח et דחה (depellere), ac præcipue Verbis ע״ע, v. c. חקק et חקה (insculpsit), מצץ et מצה (suxit).

§ 101.

Affinia autem hæc Verba (§ 100.) maximâ ex parte *defectiva* sunt eodem sensu quo Græca βαίνω, βήσομαι, ἔβην; λανθάνω, λήσομαι, ἔλαθον; h. e. quodvis eorum fere in iis tantum Conjugationibus, Temporibus ac Formis usitatum est, quæ alteri desunt, v. c. *Kal.* Præt. נפצו, Inf. נפוץ, Particip. pass. נפוץ, *Pi.* נפץ (a נפץ), *Niph.* נפוץ, *Pil.* פוצץ, *Hiph.* הפיץ (a פוץ). Quæ Verba cum omnino frequentia sint, eorum aliquot, quorum latius patet usus, hic subjiciamus :

הָלַךְ (ivit), Infin. abs. הָלוֹךְ, Part. הֹלֵךְ, *Niph.* נֶהֱלַךְ, *Hithpa.* הִתְהַלֵּךְ; sed Fut. יֵלֵךְ, Imp. לֵךְ et לְכָה, Infin. constr. לֶכֶת, *Hiph.* הוֹלִיךְ, a יָלַךְ.

טוֹב (bonum esse), Præt. טוֹבוּ pro טָבוּ; sed Fut. יִיטַב, *Hiph.* הֵיטִיב, a יָטַב.

יָגֹר (timuit), Præt. יָגֹרְתָּ, יָגֹרְתִּי; sed Fut. יָגוּר, Imp. גּוּר, a גּוּר.

נָצַב, *Niph.* נִצַּב (stetit), *Hiph.* הִצִּיב (statuit); sed *Hithpa.* הִתְיַצֵּב (stitit se), a יָצַב.

סוּג (recedere), Præt. סָג, Part. pass. סוּג, *Niph.* נָסוֹג; sed Fut. יִסַּג, Infin. abs. נָסוֹג, *Hiph.* הִסִּיג, a נָסַג.

Not. Eadem interdum ratione variæ Verbi ejusdem formæ petuntur e pluribus Conjugationibus significatione non diversis, v. c.

בָּרַךְ, hinc Part. pass. בָּרוּךְ (laudatus); sed Præt., Fut. et Part. sumuntur e *Piel*, בֵּרֵךְ (fortunavit), יְבָרֵךְ, מְבָרֵךְ.

יָכֹל (potuit), Fut. *Hoph.* יוּכַל.

יָסַף (addidit), Fut. et Infin. *Hiph.* יוֹסִיף, הוֹסִיף.

נִגַּשׁ (appropinquavit) in Præt. *Niph.*; sed Inf. גֶּשֶׁת, Imp. גַּשׁ, Fut. יִגַּשׁ sumuntur e *Kal* נָגַשׁ.

DE NOMINE.

A. GENUS.

§ 102.

Nomina vel *masculini* generis sunt vel *feminini* vel utriusque *communia*. Nomina Feminina his quatuor maxime

terminationibus, quæ Masculinis adduntur, queunt dignosci, ָה, ֶת, ֶ ֶת, ַ ַת; v. c. סוּס equus, סוּסָה equa; קָטוֹר (*Inf.* Verbi קטר), קְטֹרֶת suffitus; קֹטֵל occidens, *fem.* קֹטֶלֶת; מוֹדָע notus, familiaris, מוֹדַעַת familiaritas: haud raro etiam solo ת, v. c. עִבְרִי Hebræus, *fem.* עִבְרִית. Masculinorum nulla est propria terminatio.

§ 103.

Nullâ autem terminationis habitâ ratione

a) Feminina sunt Nomina feminarum, regionum, urbium ac partium plerarumque, quæ geminæ exstant in animantium corporibus; v. c. אֵם mater, שֵׁגָל regina, אָתוֹן asina, אַשּׁוּר Assyria, צוֹר Tyrus, אֹזֶן auris, כָּנָף ala;

b) Masculina vero Nomina virorum, populorum, montium ac fluviorum; v. c. פֶּחָה præfectus provinciæ, עָמִית socius, קֹהֶלֶת ἐκκλησιαστής, יְהוּדָה Juda (populus), לְבָנוֹן Libanon, פְּרָת Euphrates.

B. ORIGO.

§ 104.

Ratione originis vel *Primitiva* sunt Nomina vel *Derivata*. Quæ posteriora, sive Adjectiva sint sive Substantiva, *Verbalia* vocantur, si a Verbo, *Denominativa*, si ab alio Nomine ducunt originem.

§ 105.

Primitiva sunt Nomina animantium, stirpium, metallorum, numerorum, alia; quæ pleraque ratione formæ aut cum Regulari Verbo (§ 35—59.) congruunt; v. c. אָדָם homo, עֹרֵב corvus, גֶּפֶן vitis, זָהָב aurum, שָׁלֹשׁ tres, יָרֵחַ luna, אֶרֶץ terra, שִׂמְלָה vestis; aut ad Ano-

mali Verbi similitudinem accedunt, v. c. הַר mons, אֵם mater, שֵׁן dens (*quasi* a Verbis ע״ע, § 72. sq.), סוּס equus, יוֹם dies, עִיר urbs, (*quasi* a Verbis ע״ו et ע״י, § 84—88.), חָזֶה pectus, אָב pater, דָּם sanguis, יָד manus (*quasi* a Verbis ל״ה, § 91. sqq.).

§ 106.

Nomina *Verbalia* pleraque aut *Infinitivi* formam habent, ut צְחֹק (risus), דַּעַת (scientia), aut *Participii*, ut אֹיֵב (inimicus), בָּחוּר (electus). Illa fere *abstracta* sunt, hæc *concreta*.

§ 107.

Et a *Regulari* quidem Verbo ducuntur

a) Nomina cum formis *Participiorum*: α) *Kal*, ut חָכָם (sapiens), חָדָשׁ (recens); זָקֵן (senex), יָבֵשׁ (siccus), גָּדוֹל (magnus), רָחוֹק (longinquus), מָשִׁיחַ (unctus), קָצִיר (messis), β) *Niph.* ut נִפְלָאָה (miraculum), נֶחֱרָצָה (interitus); γ) *Piel*, ut מְחַבְּרָה (junctura); δ) *Pyal*, ut גּוּמָּץ (fossa); ε) *Hiph.*, ut מַשְׁחִית (corruptio); et quæ proxime ad Participia accedunt, ut צַדִּיק (justus), חַנּוּן (misericors), גַּנָּב (fur), גִּבּוֹר (heros), אִלֵּם (mutus).

b) Nomina cum formis *Infinitivorum*: α) *Kal*, ut כְּתָב (scriptum), זְבוּל (domicilium), יְגִיעַ (labor); quorum plura adjectam habent terminationem femininam (§ 102.), ut אֲבֵדָה (interitus), מְלוּכָה (potestas regia) קְטֹרֶת (suffitus); alia præfixum מ, ut מִשְׁפָּט (judicium), מַלְקוֹחַ (præda), מַמְלָכָה (regnum), מַשְׂכֹּרֶת (merces), מִזְבֵּחַ

(ara); β) *Piel*, ut בַּקָּשָׁה (petitio), אַדֶּרֶת (magnificentia); γ) *Hiph.*, ut הַשְׂכֵּל (prudentia), הַמְשֵׁל (dominatio).

Not. 1. Ad Inf. *Kal* etiam pertinent Nomina quæ vocantur *Segolata*, h. e. monosyllaba, quorum mediæ Radicali subjecta est *Vocalis furtiva* (§ 19. not.). Eorum pro Vocalium diversitate tria distinguuntur genera: α) cum Vocali *A*, ut מֶלֶךְ (pro מַלְךְ, rex), זַעַק (clamor); β) cum *E*, ut סֵפֶר (codex), נֵצַח (perpetuitas), γ) cum *O*, ut קֹדֶשׁ (sanctitas), פֹּעַל (actio): quibus respondent feminina מַלְכָּה (regina), אִמְרָה s. אֵמְרָה (sermo), אָכְלָה (cibus).

Not. 2. Formis Infinitivorum *Kal*, *Segolatis* maxime, sæpe subjiciuntur terminationes וֹן et ָן, v. c. חֶסְרוֹן (penuria), חֻרְבּוֹן (siccitas), אָבְדָן (perditio), שֻׁלְחָן (mensa).

§ 108.

Plura item Nomina originem trahunt e *Conjugationibus rarioribus* (§ 57 et 58.), et quidem

a) cum formis Participiorum, ut שׁוֹלָל (spoliatus), רַעֲנָן (viridis), אֲדַמְדָּם (subrubicundus), יְרַקְרַק (prasinus, *look-groen*), חֲצֹצְרָה (bucina);

b) cum formis Infinitivorum, ut הוֹלֵלָה et הוֹלֵלוֹת (insania), נַאֲפוּף (adulterium), פִּרְחָח (flos ætatis), אֲסַפְסֻף (collecta turba, fæx populi).

§ 109.

Nomina, quæ ab *Irregularis* Verbi *formis anomalis* ducuntur, ea hic eodem ordine enumerabimus, quo singula Verbi Irregularis genera recensita sunt. Ducuntur itaque

a) a Verbis פ״ן (§ 69—71), -α) Nomina cum formis

Infin. Kal, ut טַעַת (plantatio), שְׂאֵת (elatio); et quæ præfixum habent מ, ut מַתָּן (donum), מַטָּע (locus plantationis), מַכָּה (percussio), מַגֵּפָה (strages); - β) cum formis *Partic. Niph.*, ut נִשְׂאֵת (oblatio). Ad *Partic. Hiph.* accedunt הַצָּלָה (liberatio), הַכָּרָה (agnitio);

b) a Verbis ע״ע (§ 72—76) - α) Nomina cum formis *Infin.*, ut גַּן (hortus), חֵן (gratia), חֹק et חֻקָּה (statutum); et præfixo מ, ut מֵסַב (circuitus), מְגִלָּה (volumen); præfixo ת, ut תְּהִלָּה (laus); - β) cum formis *Particip.*, ut רַב (multus), דַּל (tenuis), חַם (calidus), חַמָּה (calor);

c) a Verbis פ״ו et פ״י (§ 79—83.) Nomina cum formis *Infin.*; ut דֵּעַ, *fem.* דֵּעָה et דַּעַת (scientia), שֵׁנָה (somnus), שִׁיבָה (sessio); et præfixo מ, ut מוֹרָא (timor), מוֹלֶדֶת (*geboorte*), מוּסָר (castigatio), - מֵיטָב (bonum, optimum); præfixo ת, ut תּוֹשָׁב (incola), תּוֹלֵדֹת (generatio);

d) a Verbis ע״ו et ע״י (§ 84-88.) - α) Nomina cum formis *Infin. Kal*, ut קוֹל (vox), בֹּשֶׁת (pudor), נוּחַ et נַחַת (quies); *Segolata* (§ 107. not. 1.) מָוֶת (mors), בַּיִת (domus), צַיִד (venatio); item præfixo מ, ut מָנוֹחַ et מְנוּחָה (requies), מָקוֹם (locus); præfixo ת, ut תְּבוּנָה (prudentia), תְּעוּדָה (testimonium); *Infin. Pil.* et *Hiph.*, ut רוֹמֵמוּת (elatio), הֲנָחָה (requies); — β) cum formis *Particip.*, ut זָר (alienus), רַע (malus), רָעָה (*het kwaad*), רָם (altus), גֵּר (peregrinus), עֵד (testis), עֵדָה (testimonium), טוֹב (bonus);

e) a Verbis ל״ה (§ 91—97.) - α) Nomina cum formis *Infin.*, ut מְנָת (portio), שְׁבִית et שְׁבוּת (captivitas); præfixo מ, ut מִקְנֶה (possessio), מִצְוָה (mandatum) et

מַעַל pro מַעֲלֶה (altitudo); præfixo ת, ut תִּקְוָה (exspectatio), תַּבְנִית (structura); subjectis terminationibus ָן et וֹן (§ 107. not. 2.), ut קִנְיָן (res adquisita), כִּלָּיוֹן (exstinctio). — Formæ *Segolatæ* (§ 107. not. 1.), ut רֵעֶה (amicus), Radicalem ה plerumque aut omnino abjiciunt, ut רֵעַ, בֵּן et בַּר (filius); aut recipiunt Radd. primitivas י sive ו; quæ, nisi accedit terminatio feminina (§ 102.), semper quiescunt, v. c. פְּרִי (fructus), חֳלִי (morbus), בֹּהוּ (inanitas) pro פֶּרִי, חֳלִי, בֹּהוּ, sed additâ illâ mobiles fiunt, ut לִוְיָה (corona), עֶרְוָה (nuditas), עֲנָוָה (humilitas); — β) cum formis *Particip. Kal*, ut יָפֶה (pulcher), שָׁלֵו (quietus), תָּו pro תָּוֶה (signum); *Piel*, ut מְנַקִּית (patera libatoria), *Hoph.*, ut מֹעַל pro מֹעֳלֶה (elatio).

§ 109.

Nomina *Denominativa* (§ 104.) vocantur quæ *proxime* descendunt ab alio Nomine, sive illud Primitivum sit sive Verbale; veluti מַלְכוּת (regnum) Denominativum est Nominis מֶלֶךְ (rex), quod ipsum originem traxit a Verbo מָלַךְ (regnavit). Eorum vero plerorumque eadem fere est ac Verbalium et forma et significatio. Nobis potiores tantum formas hic indicasse sufficiat. Sunt autem,

a) quæ respondent Participio קֹטֵל et fere ducuntur a formis *Segolatis* (§ 107. not. 1.); velut שֹׁעֵר janitor, a שַׁעַר porta; כֹּרֵם vinitor, a כֶּרֶם vinea; חֹבֵל nauta, a חֶבֶל funis, rudens. Eorum igitur eadem est significatio ac Græcorum Nominum in της et εύς, v. c. ἱππότης, γραμματεύς : quæ significatio cadit etiam

b) in ea quæ congruunt cum Verbalibus formæ קַטָּל (§ 107. a.); v. c. קַשָּׁת sagittarius, a קֶשֶׁת arcus; מַלָּח nauta, a מֶלַח sal, salsugo; פָּרָשׁ (pro פָּרָשׁ) eques, a פָּרָשׁ equus. Porro huc pertinent

c) quæ præfixum habent מ (§ 107. b. α.) ac fere locum significant; ut מַעְיָן locus scaturiginosus, ab עַיִן scaturigo; מַדְמֵנָה locus sterquilinii, a דֹּמֶן stercus, מַרְגְּלוֹת et מְרַאֲשׁוֹת locus pedum, capitis, a רֶגֶל pes, et רֹאשׁ caput;

d) quæ adjectam habent terminationem וּת, qua Abstracta formantur e Concretis, ut in Belgico sermone terminationibus *dom*, *schap* et *heid*; v. c. מַלְכוּת *koningdom*, a מֶלֶךְ; פְּקִידוּת *bestuurderschap*, a פָּקִיד *bestuurder*; אַלְמָנוּת *weduwschap*, ab אַלְמָן *weduwenaar*; עִקְּשׁוּת *verkeerdheid*, ab עִקֵּשׁ *verkeerd*, *verdraaid*. Eadem fere est ratio Nominum quorumdam in ־ִית, v. c. רֵאשִׁית initium, a רֵאשׁ i. q. רֹאשׁ caput, princeps;

e) quæ terminantur syllabâ וֹן (§ 107. not. 2.); ut קַדְמוֹן orientalis, a קֶדֶם oriens; תַּחְתּוֹן infimus, a תַּחַת; עֶלְיוֹן supremus, ab עֱלִי; אַחֲרוֹן postremus, ab אַחַר. — Propria tandem ac peculiaris est Denominativis

f) terminatio ־ִי cum formis femininis ־ִיָּה et ־ִית; v. c. רַגְלִי pedes, *voetganger*, a רֶגֶל pes; עִתִּי opportunus, ab עֵת tempus: qua terminatione in primis formantur Numeri *Ordinales* itemque Nomina *Patronymica* et *Gentilitia*, v. c. שִׁשִּׁי sextus, מוֹאָבִי Moabita, יִשְׂרְאֵלִי Israëlita, a שֵׁשׁ, מוֹאָב et יִשְׂרָאֵל.

C. NUMERUS.

§ 111.

Dualis numerus, qui proprius est nominibus *Substantivis*, indicatur terminatione ַיִם, v. c. יָדַיִם manus ambæ, a יָד (manus); qua additâ feminina terminatio ָה transit in ָת, v. c. יְרֵכָתַיִם ambæ coxæ, a יְרֵכָה (latus, coxa). Usus vero hujus Numeri ad eas maxime res pertinet quæ aut naturâ aut arte sunt geminatæ, v. c. רַגְלַיִם pedes, אַפַּיִם nares, כְּנָפַיִם alæ, נַעֲלַיִם par calceorum, מֶלְקָחַיִם forceps, *tenailles* : quamquam ille haud raro etiam ad plures res significandas tralatus est, v. c. שִׁבְעָה עֵינַיִם septem oculi; item ad duas res non necessario conjunctas, v. c. יוֹמַיִם duo dies, שְׁנָתַיִם duo anni.

§ 112.

Pluralis generis *Masculini* exsistit additâ terminatione ִים, v. c. סוּסִים equi, a סוּס. Sed Nomina in ִי et י adsciscunt solummodo ם et ִם, v. c. יְהוּדִים Judæi, גּוֹיִם gentes, a יְהוּדִי, גּוֹי : quamquam frequens in iis est forma plena cum *Dagesch forti*, ut לְוִיִּם Levitæ, כּוּשִׁיִּים Aethiopes, a לֵוִי, כּוּשִׁי.

Not. A formis Sing. obsoletis (מַי et שָׁמַי) ducta sunt Nomina Plur. מַיִם (aquæ) et שָׁמַיִם (cœlum, cœli.).

§ 113.

Pluralis generis *Feminini* indicatur terminatione וֹת, v. c. בְּאֵרוֹת putei, a בְּאֵר : quæ terminatio extrudit terminationes Singularis ָה et ֶת, v. c. תְּהִלּוֹת laudes,

אִגְּרוֹת epistolæ, a תְּהִלָּה, אִגֶּרֶת. Nomina vero in ־ִית accipiunt terminationem ־ִיּוֹת, tamquam a Sing. ־ִיָּה, v. c. עִבְרִיּוֹת Hebrææ, ab עִבְרִית.

§ 114.

Plura tamen nomina Masculina Pluralem habent formæ Femininæ, v. c. אָב (pater) Pl. אָבוֹת, דּוֹר (generatio) Pl. דּוֹרוֹת, מָאוֹר (lumen) Pl. מְאוֹרוֹת; contra Femininis additur terminatio Masculina, v. c. יוֹנָה (columba) Pl. יוֹנִים, אֶבֶן (lapis) Pl. אֲבָנִים.—*Communia* in Plurali fere utramque habent terminationem, v. c. נֶפֶשׁ (anima) Pl. נְפָשִׁים et נְפָשׁוֹת.

§ 115.

Ut Pluralia פָּנִים (facies), אֲדֹנִים (dominus), אֱלֹהִים (Deus) aliaque plura res singulares significant; ita Nomina in Singulari sæpe habent vim Pluralis, v. c. אִישׁ homines, בָּקָר boves, צֹאן pecudes minores, עוֹף aves (*Collectiva*).

D. CASUS.

§ 116.

Qui in aliis linguis Casus appellantur, in Hebraicâ omnino desunt. Significatur autem Genitivus *Statu constructo* (§ 117.), reliqui fere Præpositionibus redduntur, ut

a) Dativus Præpositione לְ, v. c. לְדָוִד Davidi (§ 148. a.).

b) Ablativus Præpositionibus מִן (ex), בְּ (in), עִם (cum), aliis (§ 148 et 150.).

c) Accusativus aut omnino non indicatur aut præpositâ voculâ אֵת sive אֶת־, v. c. אֶת־הָאָדָם hominem.

§ 117.

Cum duo Substantiva concurrunt, alterum, quod Genitivi locum tenet, immutatum relinquitur; alterum vero, unde Genitivus pendet, ita immutatur ut celerius pronuntiari queat indeque intelligi, esse illud cum altero arctius conjunctum; v. c. דָּבָר verbum, דְּבַר אֱלֹהִים verbum Dei; אֱלֹהִים Deus, אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל Deus Israëlis (Israëlitarum). Nomen autem ante Genitivum hac ratione mutatum a Grammaticis dicitur esse in Statu constructo.

§ 118.

Quomodo Vocales Nominum in *Statu constructo* ponendorum immutentur, infra videbimus (§ 121—135). Terminationum autem hæ sunt mutationes:

a) Terminationes Plur. ים ֽ ac Dualis ַיִם transeunt in ֵי; v. c. בָּנִים filii, בְּנֵי בָנִים filii filiorum; עֵינַיִם oculi, עֵינֵי עֲבָדִים oculi servorum.

b) Terminatio feminina ָה transit in ַת, ut יִרְאָה timor, יִרְאַת יְהוָה timor Dei.

c) Terminatio ֶה Verbalium ל״ה (§ 108. e.) transit in ֵה, et ַי in ֵי; v. c. יָפֶה pulcher, *st. cstr.* יְפֵה; חַי vivens, *st. cstr.* חֵי.

E. FLEXIO.

§ 119.

Flexio Nominum in eo consistit, ut tono in alteram syllabam aut in alteram vocem descendente Vocales puræ (§ 17. sq.), interdum etiam Consonantes, immutentur. Quæ immutatio efficitur et *Statu constructo* (§ 116. sq.) et adjectâ terminatione *Pluralis* (§ 111—113.) et additis Pronominibus *Suffixis* (§ 28—30.). Nos eam rem illustra-

turi primo e variis *Masculinorum* generibus (Declinationibus, § 120—128.), ac deinde, cum docuerimus quo modo *Feminina* ex illis formentur (§ 129—131.), ex horum quoque singulis generibus exempla adponemus (§ 132—135).

Not. 1. Ad Masculinoruum exempla flectuntur etiam Feminina in Singulari omnia quæ non habent peculiarem hujus Numeri terminationem (§ 103.), v. c. חֶרֶב (gladius), אֶבֶן (lapis).

Not. 2. Quod valet de *Suffixis* ־ִי, ־ְכֶם, ־ַי et ־ֵיכֶם, id facile poterit ad reliqua omnia *Suffixa* (§ 28. sq.) accommodari, præcipue cum in Plurali masc. *Suffixa levia* (§ 29. not.) semper habeant formam *absolutam*, *gravia constructam*.

FLEXIO MASCULINORUM.

§ 120.

Declinatio I. סוּס (equus).

Sing.		*Plur.*	
Stat. abs. סוּס,	*constr.* סוּס	*abs.* סוּסִים,	*cstr.* סוּסֵי.
cum Suff. סוּסִי,	סוּסְכֶם	*c. suff.* סוּסַי,	סוּסֵיכֶם.

Ad hoc autem genus referenda sunt Nomina omnia cum Vocalibus impuris (§ 17. sq.), v. c. קוֹל (vox), עִיר (urbs), גִּבּוֹר (heros), גֵּר (pro גֵּיר, peregrinus), פָּרָשׁ (pro פַּרְאָשׁ, eques), עָרִיץ (pro עַרְיָץ, tyrannus).

§ 121.

Declinatio II. דָּם (sanguis).

Sing.		*Plur.*	
Stat. abs. דָּם,	*constr.* דַּם	*abs.* דָּמִים,	*cstr.* דְּמֵי.
cum. suff. דָּמִי,	דִּמְכֶם	*c. suff.* דָּמַי,	דְּמֵיכֶם.

Dualis.

Stat. abs. יָדַיִם, *constr.* יְדֵי (manus).

Huc pertinent Nomina, quæcumque in postremâ syllabâ habent *Kamets purum* (§ 18.), v. c. כּוֹכָב (stella), אוֹצָר (thesaurus), מוּסָר (castigatio).

§ 122.

DECLINATIO III. פָּקִיד (præfectus).

Sing.		*Plur.*	
Stat. abs. פָּקִיד,	*cstr.* פְּקִיד	*abs.* פְּקִידִים,	*cstr.* פְּקִידֵי.
c. suff. פְּקִידִי,	פְּקִידְכֶם	*c. suff.* פְּקִידַי,	פְּקִידֵיכֶם.

Referuntur itaque ad hanc Declinationem Nomina quorum ultima syllaba *impuram* habet Vocalem (§ 17.), penultima *Kamets* (aut *Tsere*) *purum*; v. c. גָּדוֹל (magnus), אָדוֹן (dominus), עָצוּם (potens), אֵמוּן (fides) *Plur.* אֱמוּנִים, רְעָבוֹן (fames) *stat. cstr.* רַעֲבוֹן, זִכָּרוֹן (memoria) *stat. cstr.* זִכְרוֹן.

§ 123.

DECLINATIO IV. דָּבָר (verbum).

Sing.		*Plur.*	
Stat. abs. דָּבָר,	*cstr.* דְּבַר	*abs.* דְּבָרִים,	*cstr.* דִּבְרֵי.
cum suff. דְּבָרִי,	דְּבַרְכֶם	*c. suff.* דְּבָרַי,	דִּבְרֵיכֶם.

Dualis.

Stat. abs. כְּנָפַיִם, *constr.* כַּנְפֵי (alæ).

Complectitur hæc Declinatio Nomina dissyllaba cum duobus *Kamets puris* (§ 18.), v. c. זָנָב (cauda), רָעָב (fa-

mes); item quæ loco prioris *Kamets* habent *Tsere purum*, v. c. שֵׁכָר (potus inebrians), עֵנָב (uva).

§ 124.

Declinatio V. זָקֵן (senex).

Sing.		*Plur.*	
Stat. abs. זָקֵן,	*constr.* זְקַן	*abs.* זְקֵנִים,	*cstr.* זִקְנֵי.
cum suff. זְקֵנִי,	זְקַנְכֶם	*cum. suff.* זְקֵנַי,	זִקְנֵיכֶם.

Huc igitur ea tantum Nomina pertinent, quæ in ultimâ syllabâ habent *Tsere purum* (§ 18.) et *Kamets purum* in penultimâ, ut חָצֵר (atrium). In pluribus vero eorum *Tsere* numquam immutatur, ut יָשֵׁן (dormiens) *Plur.* יְשֵׁנִים, *cstr.* יְשֵׁנֵי; alia in *Statu constr. Sing.* accipiunt formam *Segolatam* (§ 107. not. 1.), v. c. כָּתֵף (humerus) *cstr.* כֶּתֶף.

§ 125.

Declinatio VI. מֶלֶךְ (rex).

Sing.		*Plur.*	
Stat. abs. מֶלֶךְ,	*cstr.* מֶלֶךְ	*abs.* מְלָכִים,	*cstr.* מַלְכֵי.
cum suff. מַלְכִּי,	מַלְכְּכֶם	*cum suff.* מְלָכַי,	מַלְכֵיכֶם.

Dualis.

Stat. abs. רַגְלַיִם, *constr.* רַגְלֵי (pedes).

Ad hanc Declinationem, quæ complectitur omnia Nomina *Segolata* (§ 107. not. 1.), hæc potissimum sunt observanda:

a) Vocalis primitiva formæ ֶ ֶ est *A* (מֶלֶךְ s. מַלְךְ); quæ revocatur tum ante *Suffixa* et in *Statu constr. Plur.* tum

accedente Accentu majore (§ 20.), v. c. מֶלֶךְ; item post Articulum in nomine אֶרֶץ (terra), ut dicatur הָאָרֶץ.

b) Forma ֵ ֶ, ut סֵפֶר (codex), ante *Suffixa* et in *Statu constr. Plur.* accipit *Chirek* aut *Segol;* v. c. עֵגֶל (vitulus) *cum suff.* עֶגְלִי, *Plur. cstr.* עֶגְלֵי; סֵפֶר, סִפְרִי, סִפְרֵי.

c) Forma denique cum *O* ante *Suffixa* et in *Statu cstr. Plur.* accipit *Kamets-chatuph* (§ 6.), v. c. קֹדֶשׁ (sanctitas), קָדְשִׁי, קָדְשֵׁי; פֹּעַל (actio), פָּעֳלִי, פָּעֳלֵי. Sed in *Statu abs. Plur.* prima Radicalis omnium fere huc pertinentium Nominum accipit *Scheva simplex* (§ 7.) v. c. בֹּקֶר (mane), בְּקָרִים; סֹבֶךְ (densitas), סְבָכִים, et si Gutturalis illa est, *Chateph-Kamets* (§ 8.), v. c. חֹדֶשׁ (mensis), חֳדָשִׁים. Nomen שֹׁרֶשׁ (radix) habet *Kamets-chatuph*, שָׁרָשִׁים (leg. *schoraschim*), item קֹדֶשׁ cum Articulo, ut scribatur הַקֳּדָשִׁים, sed sine Articulo frequentior est forma קֳדָשִׁים.

d) Nomina *Segolata*, quæ ducuntur a Verbis ע״ו et ע״י (§ 109. d.), in *Statu constr.* contrahuntur, v. c. מָוֶת in מוֹת, בַּיִת in בֵּית; item plerumque in *Plurali*, ut מוֹתִים; quamquam reperiuntur etiam formæ non contractæ, ut חֲיָלִים (vires) a חַיִל, עֲיָנוֹת (fontes) ab עַיִן, *fem.*

e) Nomina *Segolata*, quæ descendunt a Verbis ל״ה (§ 108. e.), ut אֲרִי (leo), לְחִי (gena), חֳלִי (morbus), cum majore Accentu (§ 20.) has habent formas: אֲרִי, לֶחִי, חֹלִי; cum *Suffixis* : אֲרְיִי : לְחָיִי, חָלְיִי; in *Plur.* et *Duali* : אֲרָיִים, לְחָיַיִם, חֳלָיִים.

§ 126.

Declinatio VII. אֹיֵב (inimicus).

	Sing.		*Plur.*	
Stat. abs.	אֹיֵב,	*constr.* אֹיֵב	*abs.* אֹיְבִים,	*cstr.* אֹיְבֵי.
cum suff.	אֹיְבִי,	אֹיִבְכֶם	*cum suff.* אֹיְבַי	אֹיְבֵיכֶם.

Pertinent huc Nomina cum *Tsere puro* (§ 18.) in syllabâ postremâ, ut שֵׁם (nomen) שְׁמִי, שִׁמְכֶם, et quorum, si plures habent syllabas, penultima corripi nequit (§ 17.), ut מוֹעֵד (tempus), מַקֵּל (virga), צְפַרְדֵּעַ (rana) et Participia *Kal*, *Piel* et *Hithpaël*. Plura tamen eorum a communi formâ recedentia — a) pro *Tsere* in *Statu cstr.* adsumunt *Patach*, v. c. מִזְבֵּחַ (ara) *cstr.* מִזְבַּח, מִסְפֵּד (planctus) *cstr.* מִסְפַּד;—b) in *Plur.* retinent *Tsere*, v. c. אַבְנֵט (cingulum) *Plur.* אַבְנֵטִים.

§ 127.

Declinatio VIII. רַב (multus, um).

	Sing.		*Plur.*	
Stat. abs.	רַב,	*constr.* רַב	*abs.* רַבִּים,	*cstr.* רַבֵּי.
cum suff.	רַבִּי,	רַבְּכֶם	*c. suff.* רַבַּי,	רַבֵּיכֶם.

Continentur hac Declinatione Nomina omnia quorum, cum a fine augentur, ultima Radicalis duplicatur; v. c. יָם (mare) *Plur.* יַמִּים, אֵם (mater) *Pl.* אִמּוֹת, מַד (vestis) *Pl.* מַדִּים, חֹק (statutum) *cum suff.* חֻקִּי. Sunt autem ex hoc genere præter Verbalia ע״ע (§ 109. b.) alia plura, quæ singula enumerare longum est, v. c. הַר (mons), עֵת (tempus), בַּת (filia), אָדֹם (ruber), אֶתְנָן (merces, donum), כַּרְמֶל (ager fertilis).

§ 128.

DECLINATIO IX. שָׂדֶה (ager).

Sing.		*Plur.*	
Stat. abs שָׂדֶה,	*cstr.* שְׂדֵה	*abs.* שָׂדִים,	*cstr.* שְׂדֵי.
cum suff. שָׂדִי,	שָׂדְכֶם	*c. suff.* שָׂדַי,	שְׂדֵיכֶם.

Complectitur hæc Declinatio Verbalia ל״ה, quæ terminantur in ֶה (§ 109. e.), v. c. יָפֶה (pulcher), רֹאֶה (vates), מַרְאֶה (adspectus, species); neque in eâ spectatur nisi hæc ipsa terminatio, cum syllabæ præcedentes sint communibus legibus subjectæ.

FORMATIO FEMININORUM (*Motio Nominis*).

§ 129.

